

S. V.

De Dominio quod apud Ecclesiasticos reperiri potest.

26. Tria sunt genera bonorum, quæ in Ecclesiasticis considerari possunt: Patrimonialia, quasi patrimonialia, & mere Ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ Ecclesiasticis successione obveniunt; vel ab ipsis labore, industria, aliove modo sunt comparata. Quasi patrimonialia sunt, quæ Clericus acquirit ob ministerium aliquod Ecclesiasticum, seculo beneficio: v. gr. stipendia pro Missis, pro Prædicatione, pro administratione Sacramentorum, &c. etiam hæc ex obligatione exerceat. Mere Ecclesiastica sunt, quæ ex beneficio percipiuntur, ut annui redditus ex decimis, Capellania, aliique piis legatis beneficio annexis. Tract. 12. cap. 2. num. 137. De bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus habet Ecclesiasticus absolutum dominium, liberamque dispositionem, eaque distrahere, expendere, ac de iis testari potest, sicut quilibet secularis de suis bonis disponere potest. num. 138. Si beneficiarius ex dictis bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus in suam congruam sustentationem, aut in pia opera aliquid expenderit, poterit ex fructibus beneficii sibi tantumdem compensare, & in quod voluerit, expendere. num. 139. Distributiones quotidianæ, quæ ob assistentiam in choro Canonicis, aliique Ecclesiasticis dantur, inter bona quasi patrimonialia, juxta probabiliorum sententiam computantur, licet deducantur ex fructibus Præbendæ, vel Beneficii, etiam si in his omnes fructus beneficii consistant; quia dantur propter assistentiam, & diurnum laborem; & sic transeunt in liberam Ecclesiastici dispositionem. n. 140.

27. Beneficiarius tenetur sub peccato mortali distribuere inter pauperes omnia bona, quæ ex fructibus beneficii superfluent suæ congruæ sustentationi, sive Canonicus sit, sive alius Beneficiarius,

sive etiam Episcopus, Cardinalis; vel Papa: qui omnes mortaliter peccant contra jus positivum, & naturale, si ea in magna quantitate in usus non pios, seu in usus profanos expendant. Tract. 12. cap. 2. num. 141. Quæ autem censenda sit magna quantitas sufficiens ad mortale, arbitrio prudentum, considerata fructuum superabundantia, aliique circumstantiis, relinquuntur judicandum. Certum tamen est majorem quantitatem in his quam in furto ad mortale requiri. num. 142. Qui ab Ecclesiastico bona Ecclesiastica dilapidante, & beneficii fructus male expendente recipit, ut amicus, consanguineus &c. non peccat, si nec petit, nec inducit ad donandum. num. 143. Nomine pauperum veniunt non solum ostiatim mendicantes, sed & omnes alii, qui carent necessariis ad sustentationem sui status, juxta qualitatem, & conditionem personæ; unde etiam Comites, & Marchiones aliquando possunt esse capaces, quibus ex redditibus Ecclesiasticis superfluis, Clericus amicus, aut consanguineus succurrat. Etiam nomine pauperum veniunt consanguinei, si juxta sui status conditionem indigeant. Item nomine pauperum veniunt quæcumque alia opera pia. Congruentius quidem inter pauperes loci, in quo quis beneficio gaudet talia bona distribuenda sunt: at præcisa extrema & gravi necessitate, etiam pauperes aliorum locorum poterit sublevare: & si id cedat in majus bonum, etiam convenienter erit, ut si agatur de fundatione Hospitalis, Collegii, aut Monasterii in alio loco. n. 144.

28. Nomine beneficii, cujus fructus superflui debent in pia opera expendi, non veniunt pensiones pule laicales; quæ scilicet ob titulum mere secularium conferuntur, v. gr. militibus, equitibus, aut Principibus ob obsequia ab iis, vel eorum parentibus Ecclesie præstita, vel præstantia; & idem dicendum de aliis, quæ dantur Clericis non ut talibus; sed ob aliquod munus temporale v. g. Cantoris, Procuratoris, Advocati &c. in stipendium, & mercedem laboris; propter quod

CAPUT III.

De restitutione.

quod inter quasi patrimonialia computantur: bene vero omnes alia pensiones Ecclesiasticæ cum titulo, vel sine titulo Clericis collata. Tract. 2. cap. 2. n. 146. 147. Congruæ sustentationis nomine comprehenditur quidquid ad sui, suæque familie honestam, & decentem sustentationem requiritur, attentis beneficii qualitate, personarum conditione, varietate temporum, regionum usu, & timoratorum praxi: in quibus omnibus potest dari infimum, medium, & summum, sicut in mercibus; & quamvis melius sit medium tenere, poterit tamen licite ad summum illius status pertingere. n. 148.

29. Attenta personarum conditione, Episcopus potest plus in suam familiam, ostentationem, & splendorem infundere quam Decanus; & hic plerumque Canonicis particularis. Attenta beneficii qualitate, qui ditiores gaudet beneficio, plus etiam potest in sui sustentationem infundere. In hac congrua sustentatione clauduntur etiam aliqua moderata convivia, quæ amicis, & consanguineis sunt, & aliquæ moderatæ donationes liberales statui convenientes, pro qualitate beneficii. Tract. 12. cap. 2. n. 148. 149. Poterit etiam consanguineis aliqua donare, ut possint ita honeste vivere, quod non sit beneficio dedecus eos propinquos habere. Poterit etiam filios illegitimos, etiam spurios si quos habuerit, (quod absit,) ex redditibus beneficii alere, & dotem filia spuria convenientem assignare, minorem tamen quam pro legitima. num. 149. 150. Denique quo beneficiarius fuerit nobilior, & doctior, eo plura assignanda sunt illi pro sustentatione decenti, intra limites tamen Christianæ modestiæ, & minus quam infunderet ex patrimonialibus bonis. nu. 151. Modo Ecclesiastici sunt vere domini fructuum beneficii: quare si, quæ superfluent suæ congruæ sustentationi, in usus profanos convertant, licet ut supra dictum est, mortaliter peccent, non tamen contra justitiam, nec ad restitutionem tenentur. n. 154. 155.

30. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur. Tract. 13. cap. 1. num. 2. Præcipitur jure naturali, divino positivo, & humano. Verus est præceptum restitutionis esse secundum rem negativum, quo prohibetur rei alienæ injusta detentio. nu. 5. Ex duplici radice oritur obligatio restitutionis: ex injusta acceptione, & ex re aliena. Nomine injustæ acceptationis venit etiam injusta detentio; licet enim morosus rei alienæ detentor, in foro externo non puniatur ut fur, nec incurrat excommunicationem, aut reservationi subjaceat, pro furto impostæ si quæ sint; in foro tamen conscientia, & apud Deum fur est. Venit insuper nomine injustæ acceptationis, quæcumque hæsis, & quodcumque peccatum contra justitiam commutativam, damno secuto. Nomine rei alienæ intelligitur etiam quidquid alteri ex justitia debetur, ut ex legato, promissione, aliove contractu: nec non & usus ipsius rei alienæ; ideoque si commodatarius, depositarius, conductor &c. sine domini expressio, vel præsumpto consensu, ultra tempus præfixum re utatur, quasi furtum committit. Similiter si dominus rei usum, injuste auferat ab habente illum. n. 6. & Tract. 13. cap. 5. n. 2. Proximo damnum inferitur vel per actiones injustas directe ad illud tendentes, ut sunt furtum, rapina, adulterium &c.; vel per actiones, ex quibus propter omissionem debet diligentem in custodienda re aliena, vel præcavendis alienis malis, indirecte sequitur damnum alterius. Tract. 13. cap. 1. num. 7. De quibus omnibus; (exceptis quæ ad restitutionem pro adulterio &c. spectant, de quibus alibi,) erit sermo.

S. I.

De furto & rapina.

31. *Furtum est occulta acceptio rei alienæ, invito domino.* (intellige, rationaliter, & quoad substantiam.) Etiam occulta sublatio servi, filie, aut uxoris, non libidinis causa, sed ad utilitatem temporalem, v. g. ut vendantur, aut servant, furti rationem habet. *Tact. 13. cap. 5. num. 1. 3.* Furtum rei sacræ de loco sacro, aut non sacro; ac etiam furtum rei non sacræ de loco sacro, siue fuerit Ecclesiæ traditæ in custodiam, siue non, contrahit malitiam sacrilegii, quæ debet in confessione explicari. Rapina proprie sumpta ex D. Th. *Est violenta ablatio rei alienæ.* Specificè distinguitur a furto, & ejus malitia est in confessione aperienda. Illæ autem tres furti species, scilicet Peculatus quod est furtum de rebus Reipublicæ; Plagiatum, quod est furtum hominis liberi; & Abigeatus quod est furtum pecorum, vel iumentorum, solum ex parte materiæ, & juridicè distinguuntur. Theologicè vero sunt eisdem infamæ speciei, sicut & omnia alia furta, propter eandem rationem formalem, num. 4. 5. Furtum (& idem dicendum de rapina,) est intrinsecè, & ex genere suo peccatum mortale, num. 8. Ex triplici capite potest excusari a mortali: ob necessitatem, ob voluntatem interpretativam domini, & ob parvitatem materiæ. nu. 9. Potest dari materia levis, immo levissima sufficiens ad mortale, propter grave damnum, aut magnam perturbationem & afflictionem domino rei, ex ejus ablatione provenientia: in tali autem casu erit quidem furtum peccatum mortale, sed per accidens, nec illud committens incurret excommunicationem, aut reservationem, si quæ ob furtum imposta sint: nam similes poenæ censentur impostæ ob furtum, quod ex se sit grave peccatum, nu. 11.

32. Materia gravis respectu cuiuscun-

que, etiam Regiæ personæ est unus aureus cum dimidio. Materia parva respectu cuiuscunque, præciso alio extrinsecò nocumento, est unus julius cum dimidio. Inter duos terminos assignatos datur materia media, quæ gravis, vel levis arbitrio prudentum dicenda erit, inspectis temporibus, locis, personis, aliisque circumstantiis. *Tact. 13. cap. 5. num. 17.* Si quis ab uno, siue a pluribus pauca auferat, animo perveniendi ad magnam quantitatem, absque dubio mortaliter peccat, ob illum pravum animi materiam gravem auferendi, independentem ab actu exteriori. num. 18. Siue materiæ parvæ ab uno, siue a pluribus; siue cum animo ad magnam quantitatem deveniendi, siue sine illo, quando ad gravem quantitatem pervenitur, committitur peccatum mortale, & datur obligatio restitutionis sub mortali; nam omnes illæ materiæ parvæ mortaliter uniuntur ad grave nocumentum proximo inferendum. Peccat autem mortaliter iste talis per illam ultimam acceptionem, per quam materia gravis completur, si tamen tunc memor sit præteritæ quantitatis acceptæ, & nondum restituta. Qui plura modica furatur, animo deveniendi ad magnam quantitatem, unum solum peccatum mortaliter continuatur committit, ac si uno actu eandem quantitatem ab uno furaretur. Præciso animo perveniendi ad magnam quantitatem, maior quantitas requiritur ad peccatum mortale, quando plura modica a pluribus auferuntur, quam si ab uno; & maior si ab uno, repetitis vicibus, pluribus quis modica auferat, quam si unico actu ea simul auferantur. nu. 19. 20. 22. Quando plures per minuta furta, ex communi consensu, consilio, conspiratione grave damnum inferunt alicui, licet eorum singuli materiam parvam auferant, omnes graviter peccant, & ad restitutionem tenentur juxta dicenda, num. 54. 55. Si vero nullus alium moveat, licet aliorum furtiolum non ignoret, nec mortaliter peccat, nec ad restitu-

tionem tenetur sub gravi, quia ipse, ut supponitur, parum accipit; & ad aliorum furta moraliter non concurrat, n. 28.

33. Triplex datur necessitas: extrema, gravis, & communis. Extremam necessitatem patitur, qui omnino necessarius ad victum & sustentationem caret, propter quod periculum vitæ vel gravis infirmitatis, vel amissionis alicujus membri, aut sensus probabiliter timet. Gravis necessitas est, cum quis caret necessariis ad conservationem sui status, ob quod incurrit periculum alicujus calamitatis, v. g. infamæ, carceris, captivitas; longæ infirmitatis, aut alterius gravis mali. Etiam censetur gravis necessitas periculum peccandi, ex fragilitate propter indigentiam. Communis necessitas est, quam pauperes, & abjectæ conditionis homines passim patiuntur. Communis necessitas non excusat a mortali, rem alienam, invito domino, in magna quantitate accipientem. *Tact. 13. cap. 5. num. 30.* In extrema necessitate propria, & etiam ad subveniendum in tali necessitate constituto, licitum est alienum accipere siue occulte, siue etiam manifeste; & hoc non est furtum, aut rapina; quia tunc dominus non est rationaliter invitatus: immo si dominus accipientem vi repellere conetur, potest ille dominum, ut injustum sui juris invasorem aggredi, & etiam si opus sit occidere. Si tamen rei dominus per ipsius rei ablationem in eadem extrema necessitate constituatur, non licet talem rem ab eo accipere; quia in pari casu, & necessitate, melior est conditio possidentis. Etiam si spes adsit, quod petendo possit res a domino obtineri, adhuc mortale non erit, in extrema necessitate, præciso scandalo, eam incito domino auferre. Licitum autem erit ob honestum virtutis motivum ex extrema necessitate permittere se mori v. g. ad vitandum scandalum, perturbationem proximi &c. num. 31. 32. Probabilis est, solum ex charitate, non autem ex iustitia teneri proximo extreme indigenti subve-

nire eum qui non est ejus superior, & cui non incumbit, ejus mortem aut grave damnum avertere. n. 34.

34. Qui extrema necessitate pressus rem alienam accipit, necessitate transacta, rem si extet in sua specie proculdubio restituere tenetur. Si vero eam durante necessitate consumpsit, aut si perit: si necessitas erat absoluta nihil amplius restituere tenetur; bene vero si fuit necessitas respectiva, juxta dicta. *Tact. 2. num. 47.* In gravi necessitate, aliena accipere invito domino, illicitum est: poterit tamen qui gravi necessitate laborat, restitutionem, aut debiti solutionem disserere, *Tact. 13. cap. 5. num. 35. 37.* Gravissima necessitas extremæ comparatur; & est illa, quæ vel assert morale periculum incidendi in extremam, ut morbus secum afferens probabile periculum mortis; vel quæ trahit carentiam eorum bonorum, quæ natura voluit esse communia, qualis esset necessitas secum trahens periculum captivitas, gravissima infamæ positivæ, perpetuæ aut saltem longæ infirmitatis; nam sanitas, bona opinio, libertas sunt bona cuique communia. Et in his necessitatibus poterit quis sibi ex alienis providere: ideoque poterit, ut ab hostibus fugiat, a quibus timet captivitatem, equum incito domino accipere, tamen ipsum, nec pretium ejus possit postea restituere. Idem dicendum, si esset necessarium ad gravissimam infamiam positivam fugiendam. nu. 38. Non licet illi, cui esset magnum dedecus mendicare, aliena sibi necessaria accipere, etiam si habeat intentionem restituendi. Nec id licet puellæ in periculo amittendi pudorem constitutæ ob inopiam; utraque enim gravis necessitas est, non extrema. nu. 39.

35. Venialiter tantum peccat qui occulte accipit ab eo, cui non dupliciter acceptio, sed tantum modus accipiendi, scilicet absque expressa licentia, & in occulto. An autem dupliciter domino ipsa acceptio, vel modus, colligi potest ex ipsius domini conditione, & rei natura. *Tact. 13. cap. 5. num. 40.* Si

famulus clam furripiat esculentæ, & poculentæ a se edenda, & bibenda, ex his quæ solent famuli, & ancillæ comedere, etiam si ad notabilem quantitatem sensim perveniat, non erit regulariter peccatum mortale; quia domini non cententur inviti de substantia, sed de modo acceptionis. At si esculentæ essent extraordinariæ, vel reservatæ, quæ dominus sibi reservaverat: aut si esculentæ, & poculentæ furripiat ad comotationes, ludos, meretricia, &c. vel ad vendendum, & distrahendum, graviter peccabit pro quantitate materiæ, & tenebitur restituere. De pecuniis vero, aut aliis rebus pretio æstimabilibus, si quid famulus furetur non minus peccat quam alii extranei. Caveant tamen Confessarii ne faciliter dissimulent minuta furta, quæ non pertingunt ad mortale, sed semper aliquam restitutionem injungant, ut ab hoc peccato abfintant. nu. 41. 42.

36. Peccat mortaliter filii, qui ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usumfructum, absque eius licentia notabilem quantitatem accipiunt, si tamen a patre illis necessaria ad victum, & vestitum provideantur. Tract. 13. cap. 5. nu. 44. Excusabitur filius a peccato furti, si pater ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus filii usurpavit, quia tunc potest filius uti compensatione: vel si pater non sit invitus quoad substantiam, vel si irrationabiliter sit invitus, ut v.g. quoad illa, quæ more aliorum suæ conditionis expensurus est in licitis, & honestis recreationibus, & multo magis in subveniendo pauperibus, gravi necessitate laborantibus: ac tandem si filius gerat negotia patris, animo id non præstandi gratis, potest deducis expensis alimentorum tantum, sibi retinere quantum daretur extraneo, nisi constet patrem per semetipsum ea negotia gesturum, aut inventurum gratis gerentem, filio non agente. nu. 45. Major requiritur quantitas in furto filiorum ad peccatum mortale, quam in furto extraneorum: illa autem dicenda erit gravis quantitas, quæ prudenter

arbitrio, gravis judicabitur, attentis conditione status, ætate, divitiis, aliisque circumstantiis, quas ponderare debet Confessarius, ut nec facile laqueum injiciat penitenti, vel nimis laxet habenas. nu. 46. Parentes de bonis filiorum castrensibus, aut quasi castrensibus, indebito modo in notabili quantitate sibi, vel aliis accipientes mortaliter peccant, & restituere tenentur; & hoc etiam si filii concederent, aut videntes non contradicerent, quia sæpe ex metu reverentia contradicere, aut negare non audent, immo aliquando nec concedere possunt, ut patet de fructibus beneficii. Parentes de suis etiam bonis dum vivunt, non possunt, prodiga effusione, præjudicare filiis suis, nec donare ultra quantitatem testamenti relinquij permissam in jure; quia filii legitimi sunt hæredes necessarii, num. 47.

37. Bona inter conjuges: alia sunt propria viri private, ut sunt omnia, quæ habebat ante matrimonium: alia quorum dominium, & proprietas est apud uxorem, administratio vero apud maritum, ut sunt bona dotalia durante matrimonio: alia quorum dominium, proprietas, & administratio est apud uxorem, ut sunt bona paraphernalia, ea scilicet quæ uxori hereditate, legato, donatione obveniunt; & illa insuper, quæ uxor proprio labore, & industria sibi acquirit, (salvo debito domui ministerio;) ad quæ etiam illa reducuntur, quæ sibi uxor, præter dotem, reservavit ad suos usus; & illa insuper quæ a viro uxori donantur, pro sumptibus extraordinariis, & voluntariis, ut sit apud Magnates. Alia sunt utrique communia, ut quæ eis proveniunt ex ludo, vel alio lucro. Tract. 13. cap. 5. nu. 48. Uxor de bonis ipsius viri propriis, de dotalibus, vel communibus, aut etiam de paraphernalibus, ubi illorum administratio est apud maritum, in notabili quantitate accipiens infcio, & invito marito peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur; nec excusatur ex eo quod accipiat ad ele-

elemosinas faciendas, vel cum animo restituendi post mortem, vel post notabile tempus. Quoad quantitatem requisitam ad mortale, uxores æquiparantur filiis. nu. 50.

38. A præcedentis assertionis doctrina excipiuntur sequentes casus, in quibus uxori licet de prædictis bonis etiam in notabili quantitate accipere, vel saltem mortaliter accipiendo non peccat. 1. Quando uxor talium honorum dominium, & administrationem habet. 2. Si accipiat ad donationes remuneratorias. 3. Ad elemosinas, & alia pia opera pro avertendo spiritali, vel temporali damno mariti. 4. Pro victu, vestitu, medicamentis, aliisque necessariis familiaritæ; maxime si in hoc maritus negligens sit; & etiam ipso invito, pro debitis solvendis. 5. Quando maritus est amens, status, vel absens, nisi aliter a Magistratu, vel marito provisum fuerit. 6. Si adit mariti expressus, vel tacitus consensus. 7. Etiam invito marito, ad dandam elemosinam extreme indigenti, aut graviter. 8. Ad faciendas elemosinas, & donationes, secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis, attenta qualitate personæ, loci, divitiarum; & ad ludum, & alias honestas recreationes suo statui convenientes. 9. Si maritus sit dissipator, poterit de bonis ejus auferre, & occultare ad ea servanda. 10. Si timeat se non posse defuncto marito dotem, & quiddid sibi debetur recuperare, poterit occulte auferendo sibi, & filijs consulere; ea tamen quæ abscondit adducere tenetur in partitione cum hæredibus mariti. 11. Ex sua dote, vel bonis communibus poterit patri, matri, vel filijs ex alio marito indigentibus, seu etiam marito, & similibus suis fratribus, & sororibus indigentibus, num. 52. 53. Maritus mortaliter peccat & ad restitutionem tenetur, si accipiat sibi, vel alteri in magna quantitate de bonis paraphernalibus uxoris; de quibus ipsa habet dominium, & administrationem. Similiter si dotem, aut bona lucrativa

in magna quantitate dissipet; quia de dotalibus solum habet usumfructum, salva rei substantia: de lucrativis solum est dominus medietatis. De bonis dotalibus, & paraphernalibus non licet marito ledere, & si perdat restituere tenetur. De bonis communibus, si in magna quantitate ludat, mortaliter peccat, & amissa restituere tenetur. nu. 54. 55. De furto Religiosorum vide. Tract. 9. cap. 4. nu. 95. 96.

§. II.

De obligatione restitutionis ex negligentia in custodienda re aliena, vel præcavendis alienis malis, & ex impedimento boni.

39. Ex nulla alia actione, vel culpa; nisi contra justitiam commutativam, oritur obligatio restitutionis: quare si qui is omittit succurrere extreme indigenti, & moriatur, cum non delinquat contra justitiam, sed contra misericordiam, non tenetur ad reparandam damna secuta ex morte. Tract. 13. cap. 1. num. 8. Culpa alia est Theologica, alia juridica. Culpa Theologica est quam confiderat Theologus, & coincidit cum peccato: culpa juridica non attendit ad peccatum, sed ad omissionem debite diligentie, ex qua omissione oritur damnum alterius. Culpa juridica alia est latissima, quæ coincidit cum dolo manifesto: alia latior, & est dolo præsumptus; alia lata, & est omissiono illius diligentie, quam homines illius status solent communititer adhibere: alia leviss, & est omissiono illius diligentie, quam attentiores adhibere solent: alia levissima, quæ est omissiono diligentie, quam attentissimi, & accuratissimi adhibere solent. Culpa juridica licet frequenter jungatur cum Theologica, tæquet tamen etiam absque illa inveniri; qui enim adhibet illam diligentiam, quam solent omnes illius status communititer adhibere, nullam committit culpam Theologicam vel levissimam, quia coram Deo ad plus non tenetur; & tamen erit culpa le-

vis, vel levisissima juridica. Similiter quando quis ex oblivione, vel ignorantia invincibilis omittit debitam diligentiam, quam solent communiter homines adhibere, nullam committit culpam Theologicam; & tamen, hoc non obstante, aderit culpa juridica lata. num. 9.

40. Ubi nulla datur ex prædictis culpis, nulla regulariter ex damno illato datur obligatio restitutionis, exceptis tribus casibus in jure expressis. Primus est quando animal tuum alterius animal occidit, hominem læsit, segetes conculcavit: tunc enim vel animal tradendum, vel damnum reparandum est. Secundus: Quando mancipium tuum aliquem læsit culpabiliter, vel in bonis, vel in persona: & tunc aut mancipium tradendum, aut damnum reparandum est. Tertius. Si ex domo tua aliquid projectum fuit in via, nec fuit proclamatum, & aliquem occidit, vel læsit: & si absque culpa tua id contigit, si caput familiaris es, ad damna teneris. Sed in omnibus his tribus casibus, minime in conscientia teneris ante iudicis sententiam. Tract. 13. cap. 1. num. 11. 12. Præcisus prædictis tribus casibus, sequitur 1. non teneri ad restitutionem illum, apud quem res aliena perit, ex casu fortuito, (nisi ex pacto justo securacionis se ad id obligaverit: vel nisi fuerit in mora restituendi: vel re commodata usus sit in casibus a domino non concessis.) Verum si eodem modo peritura erat apud dominum suum, vel si bona fide existimavit non displicere domino illum alium usum, vel illum moram restitutionis, etiam in his casibus a restitutione excusabitur, peccante re ex fortuito casu. num. 13. Sequitur secundo, quod si dans operam rei illicitæ fuit causa damni non intenti, nec prævisi, nec ex sua injusta actione secuti, non tenetur in conscientia ad satisfaciendum pro eo damno, quia per accidens fuit: ut si latro domum ingressus ad furandum, casu & omnino fortuito domum incendat. Poterit tamen damnificatus contra eum a-

gere in iudicio, & si quid sibi adjudicatum fuerit, tuta conscientia retinere. num. 14.

41. Sequitur tertio non solum ignorantiam antecedentem quæ dat causam actui, sed etiam concomitantem, quæ non est causa læsionis, quia sine illa opus exerceretur, excusare a restitutione damnorum. v. gr. procijs sagittam, omni adhibita diligentia, ne alicui damnum inferas; es tamen ita affectus, ut si scires hominem ea læsum iri, eodem modo proceres, si casu transeat, & lædas ad nihil teneris. Tract. 13. cap. 1. num. 15. Solum culpa lata conjuncta cum culpa Theologica gravi, seu cum peccato mortali, extra contractum, & officium, inducit obligationem restitutionis in materia gravi. Quare si non adfit plena notitia, & advertentia sufficiens ad mortale, non teneris in conscientia, (quiddam sit de foro exteriori,) ad refarcienda damna ex tua actione secuta. v. g. accendis ignem ad coquendos eibos, adhibita diligentia quam solent homines communiter adhibere, ne domus, aut segetes incoendantur: aperuisti foveam ad capiendam seram, & ex oblivione non adhibuisti eam diligentiam, quam solent homines communiter adhibere, ne quis in eam caderet; vel non advertisti posse ibi aliquem periclitari: si domus, vel segetes incoendantur; si quis in foveam cadat, & pereat, non peccasti mortaliter, nec ad restitutionem teneris. num. 16.

42. Probabilis est, quod ex culpa levi, aut levisissima juridica, animo graviter nocendi admittita, oriatur obligatio restitutionis; ex quo deducit D. Th. quod si quis ex motivo majoris gloriæ Dei impediatur, ne quis dignus Præbendam accipiat, ut detur digniori; ad nullam restitutionem tenetur: at si id faciat ex malo animo, & ex affectu nocendi, ad restitutionem tenetur juxta æstimationem spei. Tract. 1. cap. 1. num. 22. Si quis committeret delictum, v. g. homicidium, prævidens alteri fore imputandum, eique damnum secuturum: si id intendit, ad restitutionem omnium damnorum

rum inde obvenientium teneretur: si vero id non intenderet, sed tantum ulticidi de inimico, prævideret tamen alteri imputandum, ad omne damnum reprobiter non teneretur; sed tantum ad restituendum innocenti totum, quod coactus esset dare parti læsæ. Insuper tenetur ad refarciendum damnum ex morte innocens secutum, si vel illius gladio, vel vestibus usus alterum occidit: uniusquisque enim jus habet, ne alius suis rebus utatur in suam perniciem. n. 25.

43. Qui ex officio tenetur ad consulendum bono, vel præcavendum malo, seu damnum alterius, non tenetur in conscientia ad restitutionem ex culpa juridica levi aut levisissima, si officium assumptum sit in commodum sui, vel alterius, vel utriusque, sed solum ex culpa lata conjuncta cum gravi Theologica, seu cum peccato mortali: nisi res ipsa majorem, aut summam diligentiam exigat; aut ad majorem diligentiam ex promisso tenetur. Quare tenetur ad restitutionem, seu reparationem damni secuti, ratione ignorantia crassæ, vel culpæ lætæ. Confessarius, Parochus, Theologus, Concionator, Jurisconsultus, & quilibet ad quem pertinet consultatio, si ex suo consilio sequatur damnum alterius tertii, vel consilium petentis. Excusabuntur tamen ab obligatione restitutionis, si tantum dicant: se ita sentire, non suadendo suæ opinionis sequam: aut si nota sit insufficientia consultoris. Tract. 13. cap. 1. nu. 27. 28. 29. In foro conscientia, (quiddam sit de foro exteriori,) etiam qui ex contractu obligatur ad custodiam rei alienæ, seu ad præcavendum alterius damnum: si contractus sit in commodum sui, ut in commodato; si in commodum ejus, cujus res perit, ut in deposito; si in commutatio, ut in pigore, conductione, &c. non tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa lata conjuncta cum gravi Theologica, seu cum peccato mortali. nu. 32.

44. Culpa bifariam dici potest levis, aut levisissima: primo absolute, & se-

cundum se; quia secundum se confederata reputatur ut levis: secundo respectiva; potest enim esse quod culpa, quæ absolute & secundum se levis, vel levisissima, respectiva ad tale subiectum sit gravis & lata. Igitur cum dicimus non dari obligationem restitutionis, nisi detur culpa lata juridica cum gravi Theologica, intelligendum est de lata, & gravi respectiva ad subiectum, juxta majorem, vel minorem ejus obligationem. Tract. 13. cap. 1. nu. 37. 38. Minor autem negligentia sufficit ad culpam latam, & gravem in eo qui ex officio tenetur, quam in eo qui ex solo delicto: Rursum minor negligentia sufficit ad culpam latam in eo, in cujus gratiam factus est contractus, quam in eo qui tenetur ex contractu in commodum alterius, ut est depositarius, qui sine ullo stipendio accepit hoc munus: & minor in depositario stipendiato, quam in non stipendiato. Debet igitur in omnibus dari culpa lata, & gravis, quæ omnibus inspectis talis sit, ut inde oriatur obligatio restitutionis. num. 39.

45. Inter actiones injustas, ex quibus obligatio restitutionis resultat, est impeditio alterius boni, quod assequi sperabat. Dupliciter potest quis sperare officium, beneficium, aut commodum: 1. ita ut nullum jus habeat ad illud: 2. ita ut jus habeat in re, vel ad rem, quia ipsi debitum est ex iustitia. Dupliciter quoque potest quis alium ab assecutione boni separari impedire, 1. iuste, quia indignus, vel inhabilis est: 2. iniuste, quia absque justa causa impedit. Et quidem certum est, non teneri ad restitutionem, qui sine precibus, & suasionibus; si sine fraude, aut dolo impedit ne indigno, vel inhabili; aut digno, relicto digniore, conferatur officium, aut beneficium. Tract. 13. cap. 1. num. 95. Qui efficaciter impedit, ne quis bonum ei ex iustitia debitum assequatur: si ve precibus, consilio, suasionibus, restituere tenetur, & quidem totum, si jam collector erat firmiter determinatum ad conferendum. Bb 2 ferent.

ferendum illi; vel secundum æstimationem spei, prudentum iudicio, si non erat simpliciter determinatus: dummodo de facto tale bonum, propter impedimentum appositum minime consequatur: nam si aut impedimentum non habuit effectum, aut nulla erat spes consequendi, ad nullam restitutionem tenebitur. num. 96.

46. Qui bonum aliquod consequi vultem, minis, vi, dolo, aut fraude ab illius prosecutione avertit, rem ad quam jus habebat reddere tenetur: scilicet si solum precibus, suasionem, aut consilio avertat. n. 97. Qui vi, dolo, aut fraude impedit aliquem a consecutione alicujus boni, quod nullo modo illi debitum est, in proximo tamen est, ut illi conferatur, tenetur ad restitutionem secundum æstimationem probabilitatis, & spei illius, vel inclinationis collatoris ad tale bonum ei conferendum: si vero muneribus, precibus, suasionem, aut blanditiis tantum collatorem avertit, & retrahit a collatione illius boni, ad nullam restitutionem tenetur; etiam si id faciat detegendo defectum, aut delictum occultum, & verum, dummodo iis tantum, quibus interest, manifestetur: quia ubi agitur de beneficiis, aut officiis licet manifestare ea, quæ hominem reddunt minus dignum. Si vero delictum publice detegeret, & collator ob infamiam moveretur ad non conferendum, tenetur qui publicavit, ad famam restituendam, & damnum reparandum. num. 98. 99. Hinc inferitur, quod si persuasisti Petro, absque dolo, &c. ut testamentum in favorem alterius factum rumpere, ut tu ab intestato succederes, vel ut tibi, aut amico tuo relinqueret, nec peccasti, nec ad restitutionem teneris. Hic autem advertendum, quod in Clement. 1. de privilegiis prohibetur sub comminatione mortis æternæ Religiosis, ne retrahant etiam sine vi, & fraudibus, sive dolo testatores a legatis faciendis Ecclesiis matricibus; sed contrahentes, licet peccarent mortaliter, non tamen tenentur ad restitutionem: immo si id

facerent zelo salutis testatoris: nec peccarent. n. 100.

47. Si per vim vel fraudem impediti non beneficium daretur Petro digno, ut daretur alteri digno, teneris restituere pro æstimatione spei: scilicet si solis precibus, muneribus, &c. Sed si, quamvis absque vi, dolo, & fraudibus, sed solis precibus, suasionem, consilio in causa fuisse non officium daretur digno, ut daretur indigno, ad restitutionem teneris, sed tamen ad eam prius tenetur indignus, qui officium adeptus est, deinde collator, postremo suavor. Tract. 13. cap. 1. nu. 101. Si absque vi, aut dolo, sed ex animo pravo damnum inferendi, persuasisti alicui ne bonum indebitum conferret Petro, te absolute ad restitutionem non teneri probabile est. n. 102. Si dignus opponat se Cathedræ cum digniori, & absque fraude, vel dolo, sed cum animo nocendi digniori, tale officium procuret, & assequatur, ad restitutionem tenetur. nu. 103. Qui fraudibus, aut mendaciis impedit ne Fisco bona applicentur, quæ ob crimen essent applicanda, non tenetur ad restitutionem, nisi post legitimam iudicis sententiam declarativam criminis, & applicativam talium bonorum Fisco, quomodocumque talis sententia impediatur. Idem dicendum de adultera impediente, etiam falsis testibus, sententiam applicativam marito dotis. n. 104. Qui precibus, vel muneribus, absque vi, & fraude inducit collatorem Ecclesiasticum, jam determinatum ad conferendum digniori beneficium, ut alteri minus digno conferat, peccat mortaliter; at probabile est ad nullam restitutionem teneri. num. 106.

§. III.

De restitutione, ad quam tenentur cooperantes ad damnum.

48. Præter executorem, furti, vel damni proximo illati, qui est causa principalis illius,

illius, dantur alii, qui ad tale damnum concurrunt, & sunt novem genera personarum, quas D. Thom. duobus versiculis comprehendit: *Jussio, consilium, consensio, passio, recursus, Participans, motus, non obstant, non manifestans*. Quarum sex priores directe & positive concurrunt, reliquæ vero tres indirecte. Tract. 13. cap. 1. n. 108. Primum est certum supponitur non teneri ad restitutionem eum, qui aliquo ex dictis modis movet executorem ad damnum, si ipse jam paratissimum erat ad illud exequendum. Similiter certum est eum ad nullam restitutionem teneri, qui parato majus malum exequi, suadet, & consultat minus, juxta dicta. Tract. 13. n. 65. & tract. 5. n. 61. dummodo non adjuvet, aut cooperetur ad illud minus malum, nisi in tali casu tenebitur ad restitutionem, quia fuit causa efficax damni; sicut etiam tenetur ipse qui eligit minus malum, cum paratus esset exequi majus, quia in sua voluntate est utrumque relinquere. Denique certum est, quod si solum partem damni illati, consuluisti, vel mandasti, ad restitutionem quoad illam tantum partem teneris, cujus causa fuisti; ut si mandasti furari 50. & executor furari 50. suadeas ut furetur 100. Tu teneris restituere tantum 50. n. 109.

49. Si consulas, mandes, aut alio modo moves ad paratum damnum inferre, ut damnum inferat, quod de facto inferat, ad restitutionem teneris, etiam si alius daretur, qui te deficientem eodem modo moveret; sicuti tenetur ad reparanda damna qui hominem occideret, quem alius eo deficientem occisurus erat. Tract. 13. cap. 1. nu. 110. Qui parato ad malum suadet celeritatem executionis, vel majus malum, vel majorem atrocitatem; solum tenetur ad restitutionem quantum ad illud damnum, quod sine tali suasionem non fecisset: seu quoad illam partem damni, cujus sua suasionem causa fuit. num. 112. Qui dubitat an in damnum

influxerit, non tenetur ad restitutionem: similiter qui certus de damno dubitat tamen an fuerit causa mortis, non tenetur ad restitutionem pro morte; sed tantum pro damno, de quo certus est. num. 113. Qui solum suo exemplo est causa, seu occasio damni, licet id faciat animo inducendi ad malum, etiam si esset Prælati, non tenetur ad restitutionem: quare qui vineam ingreditur ad furandum, prævidens alios suo exemplo ingressuros, et etiam id intendens, non tenetur ad restitutionem pro damno ab eis illato; quia non fuit causa influens in illud. Sic etiam si percussus alapa Petrum, & occasione hujus alape morore confectus moriatur, non teneris pro morte. num. 114.

50. Quicumque explicitè, sive implicitè mandat maleficium, ad quod mandataris non erat paratus, primo loco ad omne damnum reparandum tenetur; nisi mandatum expressè, vel saltem tacite ante executionem revocaverit, & revocatio mandatario innotuerit. Tract. 13. cap. 1. nu. 115. Quicumque consilium, scienter, aut ex ignorantia culpabili ad malum præbet: qui petit, rogat, instruit, rationibus suadet, munera promittit, blanditiis inducit ad damnum eum, qui paratus non erat illud exequi; ad restitutionem tenetur, nisi consilium, doctrinam, suasionem, &c. revocaverit. num. 116. Consilens tenetur quidem ad damna tertio illata; non vero ad ea, quæ consilium sequenti proveniunt: similiter mandans non tenetur ad damna mandatario secuta; si tamen sit ejus superior, probabilius est teneri. num. 118. Qui ratum habet homicidium, vel furtum suo nomine factum, restituere non tenetur, dummodo mandatum vel consilium minime dederit: aut alio modo illius causa non fuerit: aut tali rati habitatione, alius minime moveatur ad non restituendum. nu. 119. Restituere tenetur quisquis suo consensu efficaciter influit in damnum alterius, ita ut sine eo non fieret; ut

eum quis subscribit injustas liti, aut sententiae, vel fert suffragium in electione indigni. Quod si abique tuo consensu damnum nihilominus sequeretur, non teneris ad restitutionem, num. 120. Qui ex officio suffragium ferre tenetur, si suffragium denegat, prævidens ex hoc damnum alterius sequendum, tenetur ad restitutionem: secus si solum ex charitate suffragium ferre tenetur, num. 121. Si pro electione indigni suffragia sufficientia præcesserunt, & postea tuum addas suffragium, ad restitutionem non teneris, dummodo præcedentes ad male suffragandum nullo modo induxeris; quia tuum suffragium nullatenus infuit. At si antequam omnia suffragia sufficientia ad injustam electionem præcesserint, suffragieris, ad restitutionem teneris, licet scias; subsequentes eodem modo suffragaturos, num. 122. Dubitans an suffragium suum fuerit ex necessariis ad iniquam electionem, tenetur restituere, num. 123.

51. Quicumque per laudationem, vituperationem, aut increpationem alium inducit ad damnum inferendum, licet id non faciat ex intentione ipsius damni, quod tamen prudenter credit eventurum, tenetur ad restitutionem, Tract. 13. cap. 1. num. 124. Qui malefactorem ut formaliter talem protegit, tuetur, fovet, aut recipit, ejus instrumenta, aut arma servat, ut scilicet commodius, & libere maleficium exequatur, ad restitutionem tenetur; secus qui malefactorem ut materialiter talem, puta ratione consanguinitatis, amicitiae, hospitalitatis, publici diversorii, vel alterius tituli recipit, tuetur &c., dummodo in maleficium nullo modo influat. Similiter minime ad restitutionem tenetur, qui malefactorem recipit, tuetur &c. post patratum delictum; quia hic est tantum receptor malefactoris materialiter sumpti, num. 125. Qui prædam a latrone factam recipiunt, vel custodiunt, si sup ex hoc moveatur ad ulterius furandum, tenetur ad restitutionem damnorum inde sequentium. Tenentur etiam ipsam prædam vero domino restituere; quod si

sine gravi incommodo facere non valeant, in priore statu reponant, eam latroni reddendo. Si dato pretio bona fide acceperunt eam a latrone, possunt rescindere contractum, & reddere ipsam latroni, ut suum pretium recipiant, num. 125, 126.

52. Participans ille est, qui quolibet alio modo præter enumeratos positive concurrat ad maleficium, sive immediate cum executoro cooperando, sive mediate eum adjuvando; & potest esse participans in re accepta, vel in ipsa actione causativa damni. Participans in re accepta, aliquid prædæ accipiendo, aut consumendo, tenetur ad rei acceptæ restitutionem, si eam apud se habeat, aut pretium ejus, si mala fide consumpsit; si vero bona fide, id tantum in quo factus est ditior. Participans in actione ipsa causativa damni per actionem injustam, ut qui comitatur latronem ut eum defendat, qui ei arma ministrat ad feriendum, aut claves fabricat ad furandum, aut portas, vel arcas aperit &c. similiter servi usurariorum, qui usuras exigunt, & recipiunt, omnes ad restitutionem tenentur, vel in totum, vel secundum partem ad quam concurrunt. Tract. 13. cap. 1. num. 127. Qui per actionem indifferentem ad maleficium concurrat, si hoc libere faciat, ad restitutionem tenetur, plus vel minus arbitrio prudentum, prout plus, vel minus concurrat: at si metu gravis damni id faciat, excusatur a culpa, & ab onere restitutionis; ut Christiani captivi remigantes in tremibus Turcarum contra Christianos, dummodo ignem non applicent, sagittas non jactent &c. similiter qui metu mortis, aut alterius gravis damni observat instrumenta furis, prædam asportat, scalam tenet, dum fur murum ascendit, instrumenta præbet, quibus arcam confringit, eum comitatur, dummodo talia sine animo cooperandi ad maleficium præstet; quia omnes istæ actiones ex se indifferentes sunt: secus dicendum de eo qui etiam metu gravi compulsus arcam reserat, res furatas e fenestra projicit &c. quia per ac-

tionem injustam concurrat. Excusantur quoque a culpa, & ab onere restitutionis usurariorum ministri minus principales, ut sunt amanuenses, deserentes pecunias, eas numerantes &c.; quia ex rationabili causa id faciunt, ne scilicet ejiciantur a domino, & viduum amittant, num. 128, 129.

53. Mutus, non obfians, non manifestans, cum negative tantum ad damnum concurrant: Si ex justitia ratione contractus, vel officii ad avertendum damnum teneantur, & peccant, & ad restitutionem tenentur, dummodo sine viâ majori, vel æquali damno in vita, fama, honore, vel rebus temporalibus impedire possint. At damnum grave publicum præcipue spirituale, ut sunt Hereses, in Principem, vel Republicam machinationes, scandala publica, etiam cum vitæ dispendio impedire tenentur. Tract. 13. cap. 1. num. 131. Ille, qui non tenetur ex justitia aliorum damna impedire, si cum facili possit clamare, opem ferre, manifestare, ut damnum avertatur, id omittat, licet omisso ex pravo animo, & odio alterius procedat; aut quia pecuniam, vel munera a malefactore accepit, ne clamaret, impediret &c. contra charitatem quidem graviter peccat, sed ad restitutionem non tenetur, num. 132, 133. Servus alicujus domini videns extraneos domum ingredi ad furandum, si non contradicit, nec clamat, peccat, & ad restitutionem tenetur. Similiter si rem sibi specialiter creditam a domesticis rapi videat; si vero res, quæ a domesticis eripitur, non fuit sibi specialiter credita, licet peccet tamen non tenetur ad restitutionem, num. 134. Custodes, & exactores gabellarum permittentes res prohibitas deferrî, vel gabellas fraudari, ad restitutionem tenentur damnorum dominis obvenientium, nisi Principis seu conductoris gabellæ tacitus consensus, aut dissimulatio, vel consuetudo excuset; debet tamen damnum esse magni momenti, & dominus justa ratione invitus. Prædicti custodes permittentes, non tenentur ad prænam, quam rei accusati sol-

vere cogentur, num. 135, 136. Confessarius non admonens positentem de obligatione restitutionis, etiam si sit Paucus, aut Episcopus, non tenetur ad restitutionem, dummodo positive non insular consules, vel docendo eum non teneri quando tenetur; quia in tali casu ipse Confessarius tenetur, num. 137, 138.

54. Si unus ex concurrentibus ad damnum, totum restituat, ceteri non tenentur nisi ad refundendum ei pro sua quilibet portione. Tract. 13. cap. 1. num. 139. Ex pluribus ad eandem rem furandam concurrentibus, ille primo loco rem totam restituere tenetur, qui eam apud se habet, vel consumpsit; alii vero non nisi in defectum ejus vel nolentis, vel non valentis restituere. Si aliquis ex sociis aliquid jam restituit, ille ad quem res pervenit, ei tenetur refundere. Si res furata ad possessorem bonæ fidei pervenit; hic ipsam si extet, tenetur restituere; si vero non extet, id in quo factus est ditior; quod si dato pretio eam accepit; actionem habet contra furem, num. 140. Si res furata non extet, aut nihil ablatum sit, sed tantummodo damnum irrogatum, primo loco restituere tenetur, qui principalis est causa, alii vero solum in defectum ejus; quo integre restituente, ceteri nihil restituere tenentur ipsi principali, vel domino. Principali causa restituyente, si res apud alium in se, vel in suo æquivalenti reperitur, ei qui per restitutionem successit in jure domini omnino restituenda est. Principalis causa, & primo loco obligata est: primo. Superiori qui justit damnum inferri: secundo. Qui mandato, consilio, vel alio modo ad maleficium suo nomine, vel in sui gratiam, vel commodum faciendum induxit: tertio. Executor. Deinde post prædictas causas principales tenentur reliquæ causæ secundariæ positivæ: Et si istæ solvant, causa principalis illis totum refundere tenetur. Quando plures causæ æque principales, vel æque secundariæ ad totum damnum concurrunt, singulæ magis, vel minus pro ratione

influxus, & commodi reportati tenentur; & si foci non resiliant, quilibet est modo dicto concurrentibus tenetur in solidum; & alii tenentur ei refundere. num. 141. 142. 143. Omnes causæ secundariæ positivæ æque primo tenentur plus, minusve secundum influxum, quem præstiterunt, & in defectum principalis; quod si horum unus moveat alium, ille prius tenetur. num. 141. 142. 143. 144.

55. Positivis causis restituere nolentibus, aut non valentibus, tenentur negativæ, inter quas hic ordo servandus est, ut primo loco tenetur Superior, qui non impedit maleficium: secundo, Custos rei: tertio, Testis iudicæ interrogatus celans veritatem: quarto, Qui negligit moneri, & consilium dare ad quod ex iustitia tenetur. Si se clamante impediendo, manifestante, maleficium non sequeretur, tenentur in solidum torum damnum restituere in defectum causarum positivarum. Si Superior, seu Magistratus solam curare teneretur, ut custodes bene se gerant, primo tenerentur custodes ipsi negligentes. Tract. 13. cap. 1. nu. 145. Quando plures de furto jam facto participant, singuli solum tenentur pro sua parte. Similiter quando plures causæ cuiuscunque ordinis sint, partialiter tantum ad idem maleficium concurrunt partialitate causæ, & effectus, certum est singulas non teneri in solidum ad totum damnum, sed tantum ad partem, cuius fuerint causæ: ut cum plures, aliis aliorum in scis, ad eandem vineam devastandam intrant, vel si mandes servo ut furetur 10., & ipse furatur 20. n. 146. Si plures ex mutuo consensu, consilio, & conspiratione, sine eo quod unus alterius, seu aliorum sit motor principalis, sed omnes communi consilio ad damnum aliquid divisibile concurrant, non tenentur nisi ad partem damni quam unusquisque fecit, etiam alio non restituente. Si autem unus fuit aliorum motor, iste primo loco in solidum tenetur, alii vero singuli ad suam partem in defectum illius. num. 147. Cum plures ad idem damnum indivi-

bile concurrant, v. gr. ad eandem domum incendendam, ad eundem hominem occidendum, &c. omnes pro sua parte ad restitutionem concurrere debent; singuli autem in solidum, aliis deficientibus tenentur, etiam si abique quolibet illorum factum fuisset maleficium eodem modo. nu. 151. Si quis ex concurrentibus ad maleficium nesciat, an principalis causa, vel focii satisfecerint, non tenetur nisi pro sua portione, quia præsumere debet eos satisfecisse: Si vero dubitet eos non satisfecisse tenetur inquirere veritatem; sed adhuc perseverante dubio, tenetur tantum pro sua portione. n. 52.

S. IV.

An sint restituenda accepta ob turpem causam, vel ob actum alias debitum, vel ex donatione illicita.

56. Non obligat quodcumque pactum; aut promissio etiam jurata ob turpem causam; immo nec licite impleri potest. Qui ob turpem causam aliquid accepit, tenetur actu non impleto illud restituere. Tract. 13. cap. 1. nu. 153. At- tento iure naturæ, perpetrato opere illicito, v. grat. homicidio, sacrilegio &c. de quo parando initus erat contractus, vel promissio, tenetur qui promissum solvere pretium; & recipiens illud non tenetur restituere: pro damno tamen per tale opus illarum, tam mandans, quam executor ad restitutionem tenentur juxta superius dicta num. 154. Hinc inferitur quod meretrices possunt licite, & valide pro sui corporis usu pretium recipere, & illud retinere, & qui illud promittit, in conscientia solvere tenetur. num. 157. Potiore iure idem dicendum de muliere honestæ famæ, sive vidua, sive uxorata, sive virgine, sive etiam moniali, num. 158. Etiam quidquid gratiosè, supra iustum pretium, pro turpi acta datur ab eo qui potest dare, qui recipit

capit retinere potest: scus si dolose, & simulatis verbis extorlit; ut si v. grat. foemina ad plus extorquendum pro copula, se virginem, aut nobilem fingat, quæ vilis, & corrupta est. num. 159. Si pretium turpitudinis recipiat mulier a non valente illud dare, ut a filiofamilias, minori, vel servo, aut etiam (secundum vetiorem sententiam) a Religioso, tenetur pretium restituere. num. 160. 161. Nec filia patri, nec uxorata marito, nec ancilla domino dare tenetur, secundum probabilioram sententiam, pretium turpis actus; sed potest illud in proprios usus, in scio patre, marito, domino respective convertere. n. 163.

57. Potest foemina, quæ ad extorquendum turpem consensum ei donata sunt, usu corporis non concessio, retinere, si non fuerint data sub pacto implicito, vel explicito turpis actus. Tract. 13. cap. 1. n. 165. Si quid vir cum prodigalitate promittit foemine, ob alium corporis sui, & res promissa divisibilis sit, verius est, teneri tantum ad iustum pretium, usu concessio; si vero res non sit partibilis, ad nihil teneri: licet promissio jurata fuerit. num. 167. Certum est apud omnes, non esse iure naturæ irritas donationes reprobatas per leges. Non esse autem tales donationes iure positivo irritas, sive recipiantur ob peccata perpetrata contra iustitiam, sive contra aliam virtutem, neque adesse obligationem restituendi, æque probabile est ac oppositum. Leges autem quæ in oppositum adducuntur, vel esse penales, ideoque non obligare ante sententiam declarativam criminis; vel tantum esse pro foro externo, nec reddere inhabilem recipientem pretium ad illud retinendum, nec impedire domini translationem: & si quæ leges has donationes tollere nistantur, etiam secundum id quod est de iure naturæ, non esse quoad hoc receptas. n. 170.

58. Omnibus Judicibus & Ministris iustitiæ, iure positivo, & naturali prohibita est quæcumque munerum receptio, etiam si a litigantibus ante sententiæ pronuntiationem gratis oblata sint; ad restitua-

tionem tamen recipientem non teneri, æque probabile est ac oppositum, juxta dicta num. præcedenti. Quæ dantur in pretium pro eo quod quis ex iustitia præstare tenetur, restituenda sunt: ut v. grat. quæ dantur iudici, ut iustam proferat sententiam: terti non falsum dicat testimonium: &c. & est fermum de iis qui gratis tenentur munus suum exercere, quia vel a Republica, vel a Principe habent stipendium assignatum, quod atreatis omnibus communiter iustum iudicatur; solet namque contingere quod quis teneatur ex iustitia, vel alia virtute munus suum exercere: dato tamen sibi juxto stipendio pro labore taxato; & tunc licite illud accipere, & retinere potest, at nihil ultra, nisi aliquis labor extraordinarius, vel exquisita diligentia interveniat, ad quam non tenetur Minister. Tunc autem munus, vel donum censetur in pretium, vel stipendium dari, quando ab ipso ministro explicite petitur, illud in pactum deducendo; vel dicendo se non facturum, nisi hoc, vel illud recipiat: vel implicite quando detinet litigantem, vel retardat negotium, vel tot vexationes, & molestias illi facit, ut ad redimendam vexationem eligat munera contere. Si stipendium taxatum per legem constat non esse sufficiens, poterit in tali casu minister plus intra terminos iusti stipendii recipere. Tract. 13. cap. 1. num. 174. 175. 176. 177.

59. Inferitur ex dictis ad restitutionem teneri Iudicem pretium recipientem, ut iustam proferat sententiam, vel ne proferat iniustam: Testem, ut verum testimonium dicat, vel ne falsum dicat: Electorem, ut pro digniori suffragetur: ficiarium, ne hominem occidat: furem ne furetur: depositarium, ut depositum reddat: Inventorem ut rem inventam domino tradat: Tabelliones, Iudices, notarios ultra iustum stipendium, aliquid recipientes: executorum testamentarios, ut fideliter testatoris voluntatem adimpleant; omnes denique ministros publicos, ut officio suo recte fungantur. Tract. 13. cap. 1. num. 178. Iudex tenetur

tur sententiam ferre secundum opinionem probabiliorum. Cum iustitia est dubia, vel probabilis ex utraque parte, si aliquid recipiat ut potius hanc quam illam eligat, non solum peccat; sed etiam, (quod probabilis est) ad restitutionem tenetur, etiam si non ab eo cui ex iustitia debetur actus, sed ab alio extraneo, vel amico recipiat. Idem dicendum de electoribus, vel suffragatoribus ad Cathedralas, & de distributoribus legatorum inter personas a se eligendas. num. 179. 181. 187. Si quis recipiat pretium pro eo quod facere tenetur, vel omittere non ex iustitia, sed ex aliis virtutibus, aut etiam ex charitate, licet illicite petat & recipiat, minime tamen ad restitutionem tenetur. n. 184. 185.

§. V.

De restitutione facienda a possessore bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei.

60. Aliam restitutionis radicem esse rem alienam, quæ apud possessorem extat, diximus. num. 30. hujus capituli. Rei alienæ possessio alius est bonæ fidei: alius malæ fidei: alius vero dubiæ fidei. Possessorem bonæ fidei, quantum ad præsens attinet, illum dicimus, qui rem alienam possidet absque conscientia peccati mortalis. Possessor malæ fidei ille est, qui vel sciens rem alienam accipit, aut retinet, vel cum ignorantia affectata, aut crassa, vel supina sufficiente, ut in tali rei alienæ detentione mortaliter peccet. Possessor dubiæ fidei ille est, qui utrinque pendulus dubitat an res, quam possidet, sua sit, vel aliena. Hæc restitutionis radix, nempe res aliena aliquando est sine iniusta actione, ut in possessore bonæ fidei: aliquando vero cum iniusta actione conjungitur, & tunc utraque radix simul invenitur, ut in fure, rapto, & debitore, vel depositario moroso. Negligentia autem venialiter tantum peccaminosa, in investigando an res possessa sit aliena, sicut non tollit bo-

nam fidem simpliciter requisitam ad præscriptionem, sic nec generat malam fidem; ob quam ex iniusta actione oritur obligatio restitutionis. Tract. 13. cap. 1. n. 40.

61. Possessor bonæ fidei quandiu in ea bona fide est, potest rem alienam retinere, eam vendere, & consumere: mox tamen ad alienam esse certo cognoscit, eam proprio domino reddere tenetur, deductis expensis in ejus conservatione factis; nisi tempus præscriptionis transierit; quia hoc transacto, eam sibi retinere potest. Quod si postquam cognovit rem esse alienam, & se teneri ad restitutionem, fuerit in mora culpabili reddendi, jam non est amplius possessor bonæ, sed malæ fidei, & eam omnino reddere tenetur, sive eam dono acceperit, sive soluto pretio emerit, nec pretium a domino petere potest, sed a venditore. Tract. 13. cap. 1. num. 41. Si durante bona fide rem consumpsisti, aut distraxisti, vel ipsa perit, etiam si tua culpa pereat; vel si rem, eodem pretio, aut etiam minore, quo emeris, vendidisti, ad nullam restitutionem teneris; Si vero res aliena apud te existat, licet non in se, sed in tuo æquivalenti, id teneris reddere in quo factus es ditior: Quare si rem alienam donatam vendidisti: si ea utens, vel eam consumens, rebus tuis, vel pecuniis perperisti, pretium, deductis tuis expensis, reddere teneris, & quidquid de rebus tuis consumpturus fueras, si re aliena utus non fuisses, vel id in quo factus es ditior; dummodo quando rem consumpsisti, tempus præscriptionis non transierit. In dubio an factus fueris ditior, nihil reddere teneris. num. 42. Si durante ea bona fide, rem alienam in ludo consumpsisti, vel in aliis rebus, in quibus nihil estes de tuo consumpturus, ad nihil teneris. Qui bona fide hæreditatem possidens, fecit majores expensas de suis bonis quam futurus aliquin fuisset, potest in restitutione deducere illum excessum. num. 43.

62. Qui bona fide emit, vel recipit

res furtivas, ut pecunias, vinum, oleum, triticum, & hujusmodi, quas fur cum suis permiscuerat, ita quod discerni non possent, nihil restituere tenetur, dummodo fur per talem distractionem, non sit factus impotens ad reddendum ex aliis bonis suis: si enim ex tali distractione, vel aliunde factus sit impotens, certum est eum qui recepit teneri in foro conscientia, (quidquid sit de foro exteriori) reddere rem si extet, vel id in quo factus est ditior. Si tales res quis a fure mala fide recepit, si fur impotens sit, totum restituere tenetur. Tract. 13. cap. 1. num. 44. 46. Qui rem alienam ulu non consumptibilem, ut equum, imaginem &c. bona, vel mala fide possidet, non satisfacit reddendo pretium, sed debet rem ipsam reddere domino, nec potest invito domino, unum pro alio commutare. Si tamen dominus specialem affectum ad illam rem non habeat, & eodem pretio possit aliam similem invenire, non erit grave peccatum, pretium loco rei restituere. Quod si rationabilis causa adit non reddendi rem ipsam, v. g. ne manifestetur fur, licebit pretium, vel æquivalens reddere computata domini æstimatione, & affectu, illicque compensatis. n. 48.

63. Possessor malæ fidei, qui scilicet rem alienam furatus est, vel invito domino retinet, tenetur rem ipsam, si extet, integre domino reddere; si vero quacunque de causa, etiam si absque sua culpa non extet, æquivalens reddere tenetur, & insuper omnia damna inde emergentia, & luca cessantia refarcire. Tract. 13. cap. 1. num. 49. Qui certo scit, rem apud dominum suum perituram, & damnum prævenit eam surripendam: si peritura erat casu, v. grat. incendio, vel grandine, & rem, aut pretium ejus apud se habet, ad restitutionem tenetur: si etiam apud furem, sed alio casu perit, pretium reddere debet: si vero eodem casu apud furem perit, quo apud dominum peritura erat, v. grat. eodem incendio, ad nullam restitutionem tenetur: In dubio autem, an eodem casu peritura fuisset a-

put dominum, tenetur reddere secundum æstimationem dubii. Si apud dominum peritura fuisset per injustam actionem v. grat. quia alius eam furaturus erat, omnino ad restitutionem tenetur. Idem dicendum de depositario, & debitore moroso. num. 50. 51. Si rem alienam accepisti mala fide, quæ tempore crescens evasura erat melior; & antequam melior fieret, eam incendisti, consumpsisti, vendidisti, aut distraxisti: si dominus eam reintervaturus erat, vel ad illum meliorem statum, ad restitutionem teneris, secundum æstimationem spei; si vero secundum priorem statum consumpturus erat, juxta valorem tantum illius status restituere debes. num. 54.

64. Si res apud te crescat, teneris illam cum omni suo incremento reddere, etiam si dominus eam ulque ad illud tempus reintervaturus non fuisset: & si sis in mora restitutionis, & casu apud te pereat, secundum illud incrementum pretium illius solvere teneris. Tract. 13. cap. 1. num. 55. Rem, quam in viliori statu surripuisti, & apud te crevit, iterumque decrevit; si dominus eam reintervaturus erat ulque ad tempus incrementi, & tunc illam venditurus, vel consumpturus; reddere teneris, secundum omnem tuum incrementum, deductis tamen expensis utilibus, & necessariis: idem dicendum si talis res apud dominum non fuisset decrementum subitura. num. 56. Si rem tempore detrimenti vendidisti, aut consumpsisti, quæ etiam apud dominum fuisset detrimentum passura, vel quam dominus venditurus erat tempore, quo vilii pretio æstimabatur; juxta hoc, & non amplius illam teneris pretio compensare; si vero tempore majoris incrementi vendidisti, aut consumpsisti, quam dominus tempore vilioris pretii erat consumpturus, probabilius est te ad restitutionem teneri secundum majorem valorem, quem apud te habuit; sive illud incrementum fuerit ab intrinseco, ut in animalibus, sive ab extrinseco ut in pecuniis, vino, tritico &c. n. 59.

65. Possessor dubiæ fidei, qui cum dubio quod res aliena sit, eam emit, ut sibi retineat, peccat mortaliter, & tenetur diligenter inquirere an aliena sit; & si conperiat alienam esse, totam domino reddere tenetur, nec potest pretium à domino exigere, sed a venditore. Si vero, adhibita debita diligentia, dubium evinci non possit, poterit rem dividere cum eo quem dominum esse dubitat, si notus sit; si vero ignotus sit, ejus partem dividere inter pauperes. Si post adhibitam diligentiam cesset dubium, & suam esse cognoscat, totam sibi potest retinere, quia jam incipit esse possessor bonæ fidei. *Tract. 13. cap. 1. n. 62.* Qui dubitans rem alienam esse, eam recipit non ut sibi retineat, sed ut veritatem inquirat, eaque cognita, domino rem restituat, non peccat nec tenetur de casu fortuito, sed tantum de culpa lata ad restitutionem, si interim pereat; quia se habet ut depositarius. *num. 63.* Qui rem bona fide ab initio emit, postea dubitat an sit aliena, tenetur diligenter inquirere veritatem; durante autem inquisitione, si res sit usu consumptibilis, ea uti non potest; bene vero si non sit usu consumptibilis, paratus solvere domino pretium usque, deductis expensis. Si adhibita debita diligentia adhuc dubium perseveret, poterit tunc conscientiam rem retinere, consumere, & distrahere; monito, si eam vendat, emptore de dubio, ne damnum sequatur emptori, & quia res sub tali dubio minus valet; & si non admoneat, tenetur damnum inde emptori secutum rescire. Quod si nulla adfit spes quod dominus compareat, ad talem monitionem non tenebitur. Si debitam diligentiam omittat, verius est ipsum teneri restituere tam rem, quam fructus rei pro æstimatione dubii. Qui adhibita debita diligentia rem vendidit, vel consumpsit, ut supradictum est, si postea dominus compareat, id solum reddere tenetur, in quo factus est ditior. *nu. 64.*

66. Fructus rei: alii sunt pure naturales, qui ex ipsa re naturaliter, &

absque ulla industria proficiuntur, ut herba, fructus arborum, & plures animalium fetus: alii pure industriales, qui per humanam industriam, re tanquam instrumento adhibita, comparantur, ut artefactum, lucrum ex aportatione frumenti, vini, olei, vel pecuniæ secutum: alii mixti, ut fructus vinearum, & agrorum, &c. isti, si prævaleat ars, industriales dicuntur; si vero natura plus operetur, quam industria, naturales denominantur. In dubio autem pro foro externo, arbitrio Confessarii, seu viri prudentis standum est. *Tract. 13. cap. 1. num. 68.* Bonæ fidei possessor, jure communi restituere tenetur omnes fructus naturales si extent, deductis expensis, & æstimatione sue industrialis, etiam si res apud dominum suum non fuisset datura fructum; & si non extent, id in quo factus est ditior, nisi tempus præscriptionis transierit: & advertendum, posse optime præscribi fructus, non præscripta ipsa res, quia res mobiles præscribuntur triennio, immobiles vero decennio. At fructus industriales sui sunt, quos reddere non tenetur. *nu. 69.* Qui rem alienam locavit, quæ ex se locari non solet, ut torquem auream, equum viri nobilis, &c. si sit possessor bonæ, sive malæ fidei, probabilis est teneri locationis pretium, si extet, restituere; si vero non extet, tenetur nihilominus possessor malæ fidei totum restituere, possessor vero bonæ fidei id tantum, in quo factus est ditior. *nu. 70.* Probabile est possessorem bonæ fidei ex titulo oneroso possidentem, quia v.g. illa emit solum pretio; lucrati omnes fructus sive naturales, sive mixtos. *n. 72.*

67. Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus pure industriales, bene vero naturales, & mixtos deductis expensis; si extent, sive non; si vero ditior factus fuerit, sive non; sive res fructificaverit apud ipsum, sive apud alios, ad quos transit. Idem dicendum de eo qui est in mora restitutionis, & de depositario, & de debitore moroso, (10-

(loquendo de fructibus postquam est in mora perceptis, vel de fructibus aut lucris, quibus dominum sua mora privavit;) & ad rescandendas expensas à domino factas in recuperanda sua re. *Tract. 13. cap. 1. nu. 73.* Non tenetur tamen in conscientia restituere fructus, qui ex ipsa re percipi poterant, si nec ipse, nec dominus eos percepturus erat: si vero tales fructus non percipiat, quos dominus absque peccato percepturus erat, omnes illos restituere tenetur. *num. 74.* Si percipiat ex re fructus, quos dominus percepturus non erat; sive extent sive non, sive ditior ex eis factus fuerit, sive non, tenetur omnes restituere deductis expensis; nisi forte tales fructus perierint, antequam sit in mora restitutionis; quia in tali casu solum tenebitur ad id, in quo factus est ditior. *n. 75.*

68. Expensæ quæ circa rem alienam fieri possunt, vel sunt necessaria, nimirum illæ, sine quibus res aut non conservaretur, aut deterior fieret: aliæ sunt utiles, eæ scilicet quibus res pretiosior, & utilior redditur: aliæ voluntariæ, quæ nec rei valorem augment, nec eam utiliore efficiunt. Nomine autem expensarum veniunt etiam industria, & labor in re conservanda, & melioranda, & in fructibus colligendis, quæ utique inter utiles, vel necessarias computandæ sunt, etiam si contra domini voluntatem fiant. *Tract. 13. cap. 1. n. 76.* Possessor, sive bonæ, sive malæ fidei, deducere potest omnes expensas utiles, & necessarias in restitutione rei, vel fructuum: & dominus eas saltem in foro conscientiæ reddere tenetur. At si dominus, absque dictis expensis, proprio labore, & industria fuisset rem conservaturus, & melioraturus, tunc tales expensæ deduci nequeunt a possessore malæ fidei, sed tantum a possessore bonæ fidei. *nu. 77.* Si dominus has expensas solvere nolit, poterit possessor rem in pignus detinere, donec solvat. Si expensæ superent fructus, non tenetur dominus omnes eas solvere, sive bonæ, sive malæ fidei possessori: nec

ab horum quolibet deduci pluraquam expensæ factæ, aut labor, ac industria æstimantur, licet res meliorata plus valeat. *nu. 78.* Possessor tam bonæ, quam malæ fidei aliquid, arbitrio prudentum deducere potest, pro expensis voluntariis, non tamen omnes a domino solvendæ sunt. *n. 80.*

69. Probabilis est eum qui bona fide rem alienam emit, posse rescindere contractum, & rem venditori tradere, recuperato pretio, etiam si ab ipso fure empta fuerit. *Tract. 13. cap. 1. n. 83.* Qui sciens rem alienam esse, ipsam emit, non ut sibi retineat, sed ut tradat domino suo, non peccat: & si postea dominus non compareat, potest pretium pro ea a se solum accipere, & si quid superest pauperibus erogare debet. Si tamen dominus compareat, ei suam rem tradere tenetur, & dominus debet pretium solum illi reddere in utroque foro: si vero rem justo pretio, aut etiam majore a fure emisti, ut domino traderes, non potes totum pretium a domino exigere, sed tantum partem, arbitrio prudentum; si autem sic fecisti, quia sciebas rem esse domino carissimam, aut valde necessariam, tunc poteris totum pretium solum exigere. *nu. 86.* Qui mala fide rem emit, sciens alienam esse, ut eam sibi retineat, probabilis est, non posse rescindere contractum, & rem latroni reddere, ut recuperet pretium, sed eam debet domino suo reddere; & sibi imputet quod pretium dederit pro re, quam restitutioni obnoxiam esse sciebat. *n. 87.* Qui rem alienam bona fide a latrone emit, & eam bona fide alteri vendidit, tenetur pretium non domino, sed emptori reddere, si & ipse bona fide emit, quando ex ea passurus sit damnum, ut si evicta sit, vel exigatur, aut quod exigenda sit probabiliter timeatur: secus si tale damnum minime passurus sit. *n. 88.*

70. Hinc inferitur, quod nemo potest monetam falsam, quam ex errore accepit, alteri in pretium rei scienter tradere: quod si bona fide alteri eam dedit

derit, tenetur, cognita ejus falsitate, damnum reparare. *Tract. 13. cap. 1. nu. 90.* Si quis bona fide rem alienam vendidit majore pretio; si illud incrementum fuit fructus industriae, quia vel illam meliorem fecit, vel alibi, ubi pluri venderetur transfuit, vel in tempus, quo pluri venderetur reservavit, ipsum sibi retinere poterit: secus si incrementum processit ex ipsa re, immutata manente, tam secundum substantiam, quam secundum tempus, & locum. *n. 92.* Incrementum quod habet res in officina Mercatoris supra seipsam, in manu domini vel alterius, est ipsius Mercatoris, quia ejus industriae correspondet. Quando res sunt materia mutui, ut pecunia, vinum, triticum, oleum, fructus; incrementum ex illis non est fructus rei, sed mercis industriae humane, illis tanquam instrumentis ad negotiationem utentis. *n. 93.* Qui bona fide pecunias furtivas a fure emente recepit, & eas cum suis miscuit, non tenetur amplius illas domino comparenti reddere: bene vero si adhuc impermixtae sunt. Similiter qui pecunias ab amico fraudolenter ludente, & cum suis permiscuit accipit, non tenetur, aliquid fraudato restituere, nisi fraudi cooperatus sit. *n. 94.*

S. VI.

Cui, qualiter, & cujus expensis facienda sit restitutio.

71. Res semper ei restituenda est, a quo fuit ablata, eamque iusto titulo possidebat, scilicet ut proprietarius, depositarius, commodatarius, conductor, &c. at si auferatur ab injusto, & male fidei possessore, de quo constat, tunc domino suo reddenda est, monito eo a quo ablata fuit, ut sciat domino reddita esse. In dubio an ille, a quo ablata est, esset possessor bonae, vel male fidei, ei reddenda est. *Tract. 13. cap. 1. n. 199. 200.* Si rem a possessore bonae fidei, qui re ipsa nullum jus habebat ad eam, accepisti contractu lu-

crativo, eam teneris vero domino restituere, si absque magno incommodo potes; (si enim hoc timeas, sufficiet eam restituere illi, a quo accepisti.) At si eam ex contractu depositi, pignoris, vel commodati accepisti; ei a quo accepisti reddenda est: hoc enim postulat fides horum contractuum; monito tamen eo, rem esse alienam; & teneris etiam ex charitate monere ipsum dominum, si commode potes. Si autem contractu oneroso, rem bona fide a possessore bonae fidei accepisti, poteris possessori reddere, ut pretium tuum recuperes; quod si iste non compareat, aut non possis ab eo pretium datum redimere, eam domino tradere teneris, quamvis pretium amittas. *n. 201.* In casibus in quibus debitor possessor, vel domino rem restituere tenetur, id ipsum facere tenetur haereditis ex testamento, vel ab intestato, si ille mortuus fuerit: nec potest pauperibus erogare, vel in pia opera infundere. Si tamen bona fide id fecit, non tenebitur amplius restituere.

72. Res ablata a filiofamilias, a Religioso, ab uxore, a minore, vel pupillo, non his reddenda est, sed Patri, Monasterio, Marito, Curatori, seu Tutori respective, apud quos est talis rei dominium; nisi res ablata sit ex iis bonis, quorum dominium, & administratio est apud filium &c.; vel nisi illam rem ad usum suum, ex consensu Patris, Superioris, Mariti, Curatoris, Tutoris respectively habeant; quia tunc ipsis restitui debet. *Tract. 13. cap. 1. nu. 203.* Qui rem alterius apud se habet, tenetur illam eidem petenti non reddere, si probabiliter cognoscat, ipsi, vel alteri fore nocituram: sed debet expectare donec tale damnus minime timeatur, (dummodo ex denegatione æquale, vel majus damnus sibi non timeatur, quia nemo tenetur ad damnus alterius, cum æquali proprio detrimento vitare) & hoc non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia, & si reddat, ad damna resarcienda tenetur. *n. 204.* Si damnus quod ex traditione rei timeatur non sit

cor-

corporale, sed spirituale petentis, aut alicujus tertii, & denegatio creditur profutura, ex charitate denegare teneris, si ex hoc tibi nullum damnus imminet: raro tamen erit peccatum mortale, rem tradere ipsi domino petenti, in suum spirituale damnus abufuro, tum quia remedium denegationis parum est in usu; tum etiam quia aliis mediis potest damnus illud melius averti. *n. 205. 206. 207.*

73. Qui rem incerti domini habet, debet diligenter inquirere verum dominum, vel ejus hæredes si mortuus sit. Si certus sit esse Petri, vel Pauli, sed sciri nequeat cujus eorum sit, inter eos dividenda est, juxta majorem vel minorem singulorum probabilitatem. *Tract. 13. cap. 1. nu. 208.* Si dominus omnino ignotus sit, debita ex delicto inter pauperes distribuenda sunt, vel in pia opera infundenda, non quidem jure natura, sed tantum positivo. Verius est idem dicendum esse, etiam de quibuscunque aliis debitis incertis. *n. 209. 211. 214.* Non est necesse quod eligantur pauperiores, nec pauperes loci, in quo delictum commissum est, nisi communitas aliqua, vel illius major pars damnificata esset; quia tunc illi communitati facienda est restitutio. *n. 215.* Nomine pauperum veniunt etiam pia opera: etiam ipse debitor inter pauperes computari potest, si vere sit talis, & etiam illius sanguineus; sed in causa propria vel suorum, quando necessitas non est evidens, & omnino certa, consulendus est Episcopus, vel prudens Confessarius, vel alius vir doctus. Super hæc bona incerti domini potest fieri compositio per Bullam. *nu. 216.* Facta jam bona fide applicatione pauperibus, vel compositione per Bullam, etiamsi postea compareat verus dominus, nihil amplius restituere tenetur, licet ad meliorem fortunam devenierit. *n. 217.* Ad applicationem prædictam non requiritur consensus Episcopi, vel cujuscunque alterius, licet optimum sit eorum consilium exquirere: restitutio tamen ab usurario facienda, ex

præcepto de consensu Episcopi facienda est, *n. 218.* Quando ex eadem causa debitum contractum est, satisfacti debitor, creditori sui creditoris solvendo, ut si debitum utriusque sit ex locatione ejusdem domus. Probabilius est idem dicendum esse, etiamsi debitum contractum sit ex diversâ causa, dummodo debitum utriusque liquidum sit, & certum. *n. 219. 221.*

74. Contingere solet quod res restituenda non possit ipsi domino, seu creditori immediate tradi, vel quia absens est, vel quia est periculum notæ, vel infamæ, & tunc juxta D. Th. eligendus est Confessarius, vel alius pius, & fidelis vir, per quem fiat restitutio. Potest autem esse quod antequam res ad creditorem perveniat, vel causa pereat, vel a latronibus in via rapiatur, vel quod iste nunciis, præter opinionem, illam sibi viurperet. Si per nuncium periculum, aut minus fidelem, debitor rem ad creditorem mittat, quam ille sibi viurperet; tenetur debitor ad iterum eandem rem solvendam, quia ex culpa sua perit: secus si talis nuncius esset ab ipso creditore assignatus, vel de ejus consensu electus; aut si creditor reliquerat electionem latori ipsi debitori, & ipse elegit eum, quem judicavit fidelem; aut si debitor, ex mandato judicis, illi latori rem tradidit. *Tract. 13. cap. 1. nu. 186.* Si quis rem quam furatus est, nuncio fideli tradat domino restituendam, & talis res apud latorem casu pereat, vel ab ipso detineatur, si eodem modo peritura non fuisset apud dominum, probabilius est teneri iterum restituere. Secus dicendum si res debebatur non ex delicto, sed tantum ratione rei alienæ, quam apud se bona fide habebat; si autem ratione contractus iusti res debebatur, & in individuo reddenda erat, ut hic liber, hic equus, &c. aut hæc pecunia rebus depositis reservata, & apud nuncium reputatum fidelem pereat, creditori perit; nisi dominus injunxerit ut non mitteretur nisi per nunciam a se designatum, quia in tali casu missa per alium, mittenti perit, & iterum ad resti-

restitutionem tenetur: At res debita in genere, ut ajunt iuristæ; seu in specie, ut dicunt Theologi, ut pecunia mutua, tantum vini, olei, &c. tor boves, oves, &c. quouque ad manus creditoris non perveniat, semper mittenti perit; nisi nunciis ex designatione, vel consensu creditoris electus sit, quia in tali casu ipsi perit. n. 188. 190. 191.

75. Quando res debetur quia aliena est, in eo loco reddenda est ubi habetur, & aliena esse cognoscitur; & si dominus sit absens, ejus expensis ad ipsum mittenda est. At si postquam alienam esse cognovit aliò transiit, & ob id majoribus expensis ad dominum mitti debeat, ad priorem locum expensis debitoris revocanda est; nisi translatio bona fide facta sit, ne scilicet res surriperetur, aut periret; tunc enim dominum expensis, ab eo loco ubi translata fuit domino mittenda erit. Si res nec mitti possit, minoribus expensis, quam ipsa æstimatur, nec ipse dominus admoneri, ut indicet quid velit fieri, poterit interim retineri quandiu speratur ipsum dominum, vel rem, vel ejus pretium habere posse: at si nec speretur unquam adventurum, aut rem, vel pretium recuperaturum, consanguineis ejus tradi poterit, vel in eorum defectu, pauperibus. *Tract. 13. cap. 1. n. 192. 193.* Si res ex injusta acceptione, vel ex delicto debeat, expensis debitoris restituenda est, ubi oportet, & damnum relatiendum. Idem dicendum de debitor moroso. n. 194. Si ad transmissionem rei debeat ex injusta actione, vel morosa detentione, majores expensæ requirantur quam ipsa res valet, potest differri restitutio, donec cum minori gravamine fieri possit: & si de hoc non detur spes, poterit juxta aliquos res inter pauperes distribui, vel in alia pia opera pro anima ipsius domini impendi; quia hæc præsumitur ejus voluntas. n. 195. Si restitutio faciendâ sit ob debitum ex contractu, eodem loco faciendâ est ubi contractus initus est, si locus in ipso contractu designatus non sit; vel expresse, vel tacite aliter con-

venerint: & regulariter in domo debitoris fieri solet, & debet. n. 196. Si alter ex contrahentibus, aut oblitus talis debiti, aut necessitate compulsus se transferat in locum distantem ab eo, ubi contractus celebratus est, solutio faciendâ erit expensis ejus, in quibus commodum celebratus fuit. n. 197.

§. VII.

Quo ordine creditoribus satisfaciendum sit, quando bona pro omnibus non sufficiunt.

76. Quando bona debitoris pro omnibus debitis solvendis sufficiunt, nullo ordine opus est; at si non sufficiunt, declarandum est qualiter, & quibus prius solvendum sit. Inter creditores aliqui sunt, qui alius jure naturæ præferuntur: aliqui ex jure positivo, seu ex dispositione legum prælationem habent, & privilegiati dicuntur: aliqui vero nullo gaudent privilegio, sed æquale jus ad bona debitoris habent, ut ex eis sibi debitum persolvatur. Creditores sive privilegiati, sive non privilegiati, alii sunt *personales*, illi nimirum qui solum personam debitoris obligatam habent, non vero bona, nisi indirecte, quia non habent hypothecam, aut pignus, sed tantum actionem adversus personam, ut ejus bonis sibi debitum persolvatur: & hi creditores a iuristis dicuntur *chirographarii*, & a Theologis *personales*: alii vero *hypothecarii*, qui non solum actionem habent adversus debitorem, sed etiam in ejus bona, quæ ubicunque transeant, cum tali onere transeunt. *Tract. 13. cap. 1. n. 223. 224.* Hypotheca alia est *tacta*, alia *expressa*; illa per legem inducitur; hæc a contrahentibus constituitur. Utraque vel est *generalis*, vel *specialis*. Hypotheca *generalis* obligat omnia bona præsentia, & futura, donec transeant ad alium; *specialis* obligat determinata bona, quæ ubicunque transeant, semper cum hoc onere transeunt. n. 225.

77. Leges tam canonicæ quam civiles

les statuentes ordinem prælationis, inter creditores obligant in conscientia; & ante omnem judicis sententiam; non est tamen improbabile; eas obligare tantam pro foro externo. *Tract. 13. cap. 1. n. 226. 227.* Res debita in propria specie existens, primo loco domino suo reddenda est. n. 228. Debita certa, quorum dominus non ignoratur, & re non extante in propria specie, præferenda sunt incertis. n. 230. Venditor rei credito pretio re ipsa extante in propria specie, præferendus est cæteris omnibus etiam privilegiatis, vel hypothecariis in probabiliore sententia. n. 232. Debita ex contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratuito, etiam dotis promissa, aut legati Ecclesiæ, vel ad pias causas. n. 233. Debita ex delicto præferenda esse debitis ex contractu oneroso aliqui dicunt; alii oppositum asserunt; alii vero nullum inter hæc debita ordinem servandum esse docent, sed æque omnibus pro rata satisfaciendum: & omnes istæ tres sententiæ probabiles sunt, & in praxi tutæ. n. 234. 235. 236.

78. Creditores hypothecarii semper personales præferendi sunt. Inter hypothecarios, non privilegiatos, qui prior est tempore præferendus est, etiam si hypothecæ sint diversæ rationis. *Tract. 13. cap. 1. n. 237. 238.* Hypothecæ privilegiatæ, licet posteriores tempore præferuntur omnibus aliis non privilegiatis, prout sequitur. Hypotheca dotis præferitur omnibus non privilegiatis tacitam hypothecam habentibus. Si res dotales constantes sint, præferuntur etiam hypothecis expressis non privilegiatis: hoc tamen dotale privilegium locum non habet, quando dos recepta non fuit. Privilegio dotali gaudet etiam dotis augmentum. n. 239. Hypotheca Fisci præferitur omnibus tacitam hypothecam habentibus non privilegiatis; & inter has duas præferitur quæ prior est tempore; in dubio autem de prioritæ temporis, hypotheca dotis præferitur hypothecæ Fisci. n. 240. Qui dedit pecuniam ad ædificandam, vel emendam

Pars I.

domum, ad emptionem prædiorum, vel eorum cultum, aut custodiam, ad collectionem segetum: ipsam domum, prædium, &c. hypothecata relinquunt pro pecunia; & præferuntur anterioribus creditoribus generalem hypothecam habentibus. Item fructus prædiorum condudorum, hypothecati remanent pro pretio. Et omnes qui ad conservationem rei concurrunt, præferuntur aliis in ipsa re specialem hypothecam habentibus; quia his pecuniam dedissent ad ejus conservationem, tale pignus, vel hypotheca non subsisteret. Inter has autem, & dotis, & Fisci hypothecæ currit regula. Qui prior est tempore, potior est jure: ideoque prior tempore præferenda est, num. 241. 242.

79. Qui pecuniam dedit ad emendam militiam, equum, arma, & alia necessaria ad bellum, vel sustentationem in castris, præferitur quibuscunque creditoribus tacitis, vel expressis, generalibus, vel speciales hypothecas habentibus, etiam dotis, vel Fisci. Res empta pecuniis pupilli minoris 14. annorum, illi hypothecata manet; & præferri debet cuicunque hypothecæ generali tacitæ, vel expressæ, excepta hypotheca, causâ militiæ. Hypotheca instrumentum publico comprobata præferitur ei, quæ est ex scriptura privata, quia in privata scriptura præsumitur fallacia; rat si omnino absit fraudis suspicio, nulla inter has datur prælatio. Hypotheca ex liberali, & gratuita promissione postponitur omnibus hypothecis, quæ sunt ex contractu oneroso. *Tract. 13. cap. 1. n. 242.*

80. Post creditores hypothecariis sequuntur creditores personales, seu chirographarii. Inter hos præferendi sunt, utpote privilegiati: i. Creditor pro expensis causâ funeris (attentis circumstantiis occurrentibus); qui non solum cæteris creditoribus personalibus anterecur, sed etiam omnibus aliis tam hypothecariis, quam non hypothecariis; tam privilegiatis, quam non privilegiatis; hoc privilegium extenditur communiter

D d a Do-

a Doctoribus ad debita contracta obligationem infirmi, & ob testamentum, & inventarium faciendum; & qui pro his sumptibus pecuniam dedit, quibuscunque aliis creditoribus præferendus est. Tract. 13. cap. 1. n. 243. Secundo Sponsa tradens dotem ante matrimonium, eo non secuto, præfertur omnibus creditoribus personalibus; sed non transit hoc privilegium ad hæredes, nisi sint filii, vel descendentes. 3. Deponens pecuniam, non percepta usura; apud nummularium a Republica constitutum, postquam pecunia consumptæ sunt; præfertur omnibus creditoribus personalibus ejusdem nummularii. Id extenditur ad aliquibus ad aliam quæcumque rem depositatam absque lucro, seu usura, si non extet: nam si pecuniæ, vel res in sua specie extent, siue cum lucro, siue sine lucro depositæ sint, præfertur deponens omnibus aliis creditoribus etiam hypothecariis. 4. Quando Respublica est creditor, præfertur omnibus aliis creditoribus privatis non hypothecariis. Inter hos creditores privilegiatos, ille præfertur, qui potiorum causam habet, etiamsi tempore sit posterior; si vero creditum sit ex eadem causa, vel titulo, qui prior est tempore præferendus est. n. 244.

81. Inter creditores personales non privilegiatos nulla datur prælatio temporis, sed cum bona pro omnibus non sufficiunt, eis pro rata solvendum, juxta probabilè sententiam: probabilior tamen est alia docens eum præferendum esse, qui prior est tempore. Tract. 13. cap. 1. nu. 245. 246. Probabilis, & tuta est sententia asserens, posse debitorem ex sua voluntate, prius solvere creditori pauperiori, quam diviti non egenti. n. 247. Si creditor tempore posterior, siue in judicio, siue extra prior exigat, aliis creditoribus ex eadem causa minime perentibus præferendus est; licet per hoc impotentior fiat ad solvendum illis. Si quis ex creditoribus sententiam in judicio obtineat, alter vero sententiam, & executionem, iste præferendus est illi. n. 249. Si debitor vo-

luntarie uni ex creditoribus, qui nullam inter se prælationem habent nec ex jure naturæ, nec ex lege, eo non petente integrè solvat, aliis insoluitis manentibus, ille qui accepit tenetur in probabiliori sententia pro foro conscientie, aliis creditoribus suam partem secundum proportionem restituere; licet leges pro foro externo ad evitandas lites, quod solum est revocari non concedant. n. 251.

§. VIII.

Qualiter peccet morosus detentor, & de causis excusantibus restitutionem.

82. Certissimum est apud omnes teneri debitorem statim ac commode potest rem creditori reddere, quomodo libet talis res debeatur; quod si non reddat, mortaliter peccat, & ad omne lucrum cessans, & damnum emergens resarciendum tenetur: quæ autem mora sufficiat ad gravem culpam, supposito commoditate, arbitrio prudentum judicandum est. Tract. 13. cap. 1. nu. 252. Qui ex contractu debitor est; solvere non tenetur nisi tempore in contractu assignato; quo elapso etiamsi a domino non admoveatur, solvere debet: si autem tempus a contrahentibus assignatum non fuit, non est in mora, nec graviter peccat non reddendo antequam a Domino admoveatur, vel interpelletur; nam creditor non petendo, cum seiat, & possit, dilationi consentire videtur; si tamen a debitore præstitum fuerit juramentum tunc tenebitur solvere quam primum poterit, etiamsi non interpelletur, & si non solvat erit in mora. Verum non facile dammandus est de mortali, debitor ex contractu, etiamsi pluries pro solutione interpellatus fuerit, nec ei deneganda est absolutio, si ex una parte firmum habeat solvendum propositum, & ex alia creditor per talem dilationem, grave damnum non patiat, præcipue si solutio sit debitori difficilis. n. 254. 255.

83. Non est absolvendus qui vel propositum solvendi non habet; vel usque ad mortem solutionem differt: vel qui rem debet in magna quantitate, & cum commode possit, totam simul solvere, non vult nisi per partes cum incommodo notabili creditoris, eisque renitentia. Multi tamen debitores circa hoc, invincibili ignorantia, excusantur; in qua, nisi ipsi edoceri petant, ut in plurimum melius est eos relinquere, supposito quod bona fide cum tali ignorantia ad confessionem accedant, dummodo ex hoc magnum damnum, aut periculum non imminet creditori. Tract. 13. cap. 1. n. 256. Deneganda est absolutio illi, qui semel, & iterum admonitus de restitutione facienda, differt nihilominus, cum commode possit, donec re ipsa restituat prout potest, licet se firmum habere propositum restituendi asserat. Et caveant Confessarii ne in hoc a penitentibus decipiantur. n. 257. Similiter deneganda est absolutio ei, qui cum possit in vita restituere, differt usque ad mortem: eique, qui in mortis periculo constitutus, cum possit absque nota vel scandalo, aliove notabili incommodo de facto restituere, id hæredibus, vel commissariis committit. n. 259. Ille est in continuo peccato actuali omissionis, vel commissionis, vel utriusque qui est in mora culpabili restitutionis: immo tot peccata numero diversa committit, quot occurrant occasionis restituendi, & advertenter prætermittit: at hæc multiplicitas est physica, non vero moralis, nec in confessione necessario exprimentanda, nisi per interruptionem morale detur multiplicatio moralis. Tract. 13. cap. 1. nu. 261. 262. Secundum probabiliorè sententiam, tunc datur moralis interruptio, cum per propositum efficacæ restitutionis, prior volitio retinendi rem alienam retractatur: unde licet per annum esset in mora, & in eo anno plures occasionis occurrerent, & pluries propositum non restituendi eliceret; unicum tantum moraliter peccatum committeret. n. 264.

84. Non solum physica, sed & moralis impotentia excusat a restitutione facienda. Tract. 13. cap. 1. num. 266. Cum damno proprio, siue in temporalibus, siue in spiritualibus, majore tamen quam quod subiret creditor per dilationem, aut cum talis damni periculo non tenetur debitor restituere, sed restitutionem differre potest. n. 266. 267. Quare si quem accusasti falsi criminis, vel quod ad mortem damnatus est, ob infamiam subijt, cum tuæ vitæ periculo teneris veritatem manifestare; & cum tui honoris jactura alienam famam restituere. Quando quis ad meliorem statum furtis, uluris, aliusque injulitias devenit, tenetur restituere etiam decedendo ab illo statu, & se reduciendo ad priorem statum in quo eratur. Non tenetur restituere qui ob id, ad se vel suos alendos cogere tur furari, aliaque injulitias committere, uxorem, vel filiam prostituere, aut agrum, vel domum vendere multo vilius quam mereatur, instrumenta suæ artis vendere, aut velles sibi necessarias, nec tenetur decedere a statu iuste acquisito: tenetur tamen expensas superfluas vitare, & se ad honestam mediocritatem reducere. Tenetur quoque in ordine ad restitutionem, atrem si quam novit, exercere suæ conditioni convenientem; Nobilis tamen non tenetur propter hoc atrem mechanicam exercere. n. 269. 270. Non licet solutionem differre ob magnum lucrum, quod ex dilatione speratur, nisi in casu quo creditor inde nullum damnum patiatur: vel lucrum inde queratur ad satisfaciendum aliis creditoribus; quia ad evitandum aliorum damnum hoc facere potest, etiam cum aliqui creditoris damno, nam in tali casu dominus rationabiliter inivus esse non potest. n. 271.

85. Non tenetur debitor in extrema sui, vel suorum necessitate solvere, ut creditor in eadem extrema necessitate constituto succurrat. Similiter non tenetur debitor, gravi necessitate laborans solvere, ideoque differre potest, si creditor in simili necessitate non sit; immo

immo et si creditor in eadem gravi necessitate sit; adhuc posse debitorem differre solutionem, & æque probabile est ac oppositum. Tract. 13. cap. 1. n. 272. 273. Qui habet iustam causam differendi solutionem, non tenetur ad damna ex dilatione emergentia, vel lucra cessantia, quando debitum non est ex delicto; bene vero si ex delicto sit, quia sua iniusta actione vere fuit causa illius damni. n. 274. Per condonationem omnino liberam, ac jure permissam factam a creditore extinguitur debitum; vel in totum, si fuit totalis; vel in partem, si fuit partialis. Episcopus tempore visitationis aliquid ultra sumptus necessarios accipiens, tenetur intra mensem ad restitutionem duplam, etiamsi condonationem habuerit; quia irrita est. num. 275.

86. Invalida est condonatio simpliciter involuntaria, aut mixta ex voluntario, & involuntario, & ideo nulla est condonatio facta ab ebrio, vel amente, vel ex metu gravi, aut per molestias, vel preces importunas extorta, aut obtrita per dolum, ignorantiam vel fraudem. Tract. 13. cap. 1. num. 276. Debitor qui cum suis creditoribus composuit, dammodo sine dolo, & fraude composuerit, etiamsi postea ad meliorem fortunam deveniat, non tenetur amplius ad solvendum quod remissum fuit. n. 277. Ex tacita, & præsumpta probabili debiti remissione, aut solutionis dilatione liberatur debitor ab onere solutionis, eamque respective differre potest. n. 278. Si creditor plures debitores habeat ex eadem iniusta læssione, facta debitori principali remissione, etiam alii liberi manent; secus si ille cui facta est condonatio, fuit ex minus principalibus. nu. 279. Quando nullus fuit causa aliorum, sed omnes æqualiter ad damnum convenerunt, facta uni remissione, non liberantur alii ab onere restitutionis. n. 280.

87. Bona alia sunt temporalia; alia spiritualia; & hæc sunt superiora illis. Honorum temporalium triplex est ordo: infimus; medius, & supremus. In-

fimi ordinis sunt res familiares, & quicquid pretio æstimatur; mediis ordinis sunt honor, & fama; supremi vero ordinis sunt vita, libertas, sanitas, virginitas, membra. Vita plebei inferius est bonum honore; & fama viri eximii, & præcellentis; loquendo de honore, & fama a nobilitate, & virtutibus proveniente. Tract. 13. cap. 1. n. 281. Si debitum solvi nequit absque notabili jactura bonorum superioris ordinis, differri poterit solutio, vel in totum prætermitti; secus si jactura in bonis ordinis superioris minima esset. n. 282. 283. Hinc sequitur non teneri fornicam, quæ filium ex adulterio suscipit, crimen suum detegere; si periculum vitæ, aut famæ notabile damnum timeat, etiamsi filiis legitimis grave præjudicium eveniat in partitione hæreditatis. Nec teneri restituere cum, qui nisi cum notabili valetudinis detrimento non potest. Neque qui ob restitutionem periculum magnum pateretur incidendi in aliqua peccata, vel ipse, vel aliquis suorum, ut si furari cogatur, aut filiam, vel uxorem prostituere propter vicium. Qui per usuras, furta, &c. acquisivit sublimiorem statum, non exculatur a restitutione; vel enim in opinione hominum iuste illum statum acquisivit, vel iniuste. Si iniuste; nihil de sua fama amittit per restitutionem; si iuste, adhuc nullum famæ notabile detrimentum patietur, si paulatim, & per Confessarium restitutum fiat. n. 284. 285.

88. Qui Religionem ingreditur non satisfaciens creditoribus, cum possit; aut non disponens ut illis satisfiat, peccat mortaliter; valida tamen est confessio jure naturæ; & si sit impotens ad solvendum, nec spem habeat quod in sæculo manens satisfacere possit, erit etiam licita. Si debita sint incerti domini, quæ proinde pauperibus eroganda sunt, licebit impotenti solvere, Religionem ingredi, licet spes adit quod in sæculo manens satisfacere valeat; post breve tempus. Tract. 13. cap. 1. n. 286. Qui brevi tempore, puta intra biennium vel

vel triennium in sæculo manens sperat se posse creditoribus satisfacere, tenetur per illud tempus Religionis ingressum differre; nisi extraordinarium, vel grave periculum incidendi in aliquod peccatum imminet. Probabilis est, debitorem impotentem satisfacere creditoribus intra breve tempus, posse statim ingredi Religionem, cedendo bonis suis in favorem creditorum, si debita sint ex delicto, siue ex contractu oneroso; quia persona non est directe, per se, & ratione sui obligata, sed ratione bonorum. Si debita sint ex liberali promissione, potest statim cedendo bonis suis in favorem creditorum, licite Religionem ingredi, etiamsi speret se posse brevi tempore omnibus satisfacere. Tract. 13. cap. 1. n. 287. 288. 290.

89. Non tenetur Prælati dare licentiam Religioso ad laborandum ut creditoribus satisfiat; neque Religiosus etiam ea licentia habita, tenetur ad exercitia sibi difficilia, aut suo statui, vel personæ non convenientia, sed tantum ad ea, quæ nec nimis difficilia sunt, nec suum statum, ac personam dedecent; quadam enim decentia, non vero Sacerdotem; quædam Sacerdotem simplicem, non autem Lectorem, vel Concionatorem, &c. Tract. 13. cap. 1. num. 297. 298. Sixtus V. prohibuit, motu proprio, in Religione recipi eos, qui supra suas facultates fuerint ingenti aere alieno gravati, vel ita obnoxii reddendis rationibus, ut inde timeantur lites, & molestiæ. Hæc prohibitio non extenditur ad moniales; nec comprehendit eos, qui licet de præsentibus non possint satisfacere, habent tamen unde ex bonis suis successive satisfieri possit: nec eos pro quibus vel Religio, vel alius ad satisfaciendum se offert; nec eos qui habent debita incerta, aut debita ex gratuita, & liberali promissione: nec eos, qui in penam delicti ad solvendum damnati sunt; nec illos, qui etsi in sæculo manerent, nulla adesset spes, eos satisfacere posse; nec demum eos, qui absque culpa sua ad impotentiam solvendi devenerunt, etiamsi sperent in-

tra breve tempus in sæculo manendo se posse solvere; Illi ergo tantum comprehenduntur, qui bona sua dilapidando in ludis, &c. & se magno aere alieno gravando, se reddunt impotentes ad solvendum de præsentibus, poterunt tamen solvere si in sæculo maneat. nu. 299. 300. 301.

§. IX.

De compensatione.

90. *Compensatio est debiti & crediti; inter se invicem contributio.* Compensatio proprie dicta, debitum ex utraque parte requirit: compensatio vero improprie dicta, solum ex una parte debitum supponit, & potius dicitur debiti recuperatio; si enim Petrus mihi debeat centum, & solvere nolit, totidem mihi ex bonis ejus subripiendo, quod meum est recuperare. Tract. 13. cap. 1. num. 302. Utraque compensatio, quibusdam servatis conditionibus, licita est. Ex dispositione juris, condemnatus ad aliquid solvendum injuriato, compensatio uti non potest, nisi alter ex eodem titulo debitor existat. Similiter de iis quæ debentur Principi, Civitati, vel Communitati, non permittitur compensatio. Sic neque debiti ex deposito etiam cum debito ex deposito. Ideoque in his casibus, in foro externo, nequit opponi exceptio compensantis; in foro tamen conscientie, si abest scandalum, & alter debitum recuperari non possit, poterit creditor uti compensatione, vel retentione. nu. 304. Etiam in debitis diversæ rationis licita est compensatio. num. 306. Potest quis uti compensatione, etiamsi debitum non adhuc contractum sit, sed proxime contrahendum, si rationabiliter timeat non sibi solvendum. num. 307. Famæ, vel honoris compensatio, per alterius dehonorationem, & infamationem non licet; nam esset vindicta. Poterit tamen aggressus suam famam tueri afferendo, & probando testibus infamatores esse mentium. num. 308. Qui alteri promisit se non usurum com-

compensatione, ea uti non potest, & solvere tenetur debitum suum. Qui iuravit se solvaturum debitum, non expresse cedens iuri compensationis, quia illius immemor, ea uti potest. num. 309.

91. Quæ hucusque dicta sunt, præcipue currunt de compensatione propria, applicari tamen possunt, proportionem servata, etiam in propriam compensationem spectant, licet proportionem servata, etiam propriam compensationem conveniant. Conditiones pro licito usu compensationis sunt sex. Prima. Quod non plus per compensationem auferatur, quam quod debitum erat. Secunda. Quod non fiat compensatio in bonis, quæ debitoris non sunt. Tertia. Quod debitum sit certum, & liquidum. Quarta. Quod compensatio non sit in damnum debitoris, vel alterius; videlicet quod non iterum solvere cogatur, aut remaneat in mala fide, aut alteri imputetur rei ablatio. Quinta. Quod compensatio non fiat, nisi pro re debita ex iustitia. Sexta. Quod occulta compensatio propria auctoritate non fiat, nisi quando debitum per interpellationem iudicis, aut alia via commode recuperari non possit; dummodo, absque scandalo, aut periculo infamiae propriæ, aut alterius præiudicio fiat. *Tract. 13. cap. 1. num. 310. &c.* Excommunicatio lata contra furtum committentes, non comprehendit eos, qui iusta compensatione utuntur. n. 314.

92. Famuli, & famulæ domesticæ non possunt occulte subripere heris suis, ad compendandum operam suam, quam majorem iudicant salario, quod recipiunt. Quare qui libera, & spontanea voluntate cum domino pacificantur de mercede, aut stipendio inferiori eo quod debetur, eo quia supplex petiit quis recipi, in obsequium, quem dominus non recipiet: nequeunt taliter paciscentes uti compensatione occulta. Ceterum cum absque pacto explicito obsequium suscipitur, illud cenetur iustum stipendium, quod lege, vel consuetudine taxatum est.

Si dominus tacite, vel expresse aliquod famulo promisit, & non præstatur, poterit famulus sibi occulte compensare pro æstimatione ejus quod promissura fuerat: similiter si dominus occupat famulum alii horis, vel ministeris, quibus non tenetur. Denique si ex necessitate cum stipendio inferiori suum locavit obsequium, quia dominus amplius dare noluit, absque animo tamen condonandi id fecit, ne amitteret vitæ sustentationem; aut etiam si condonavit, fuit tamen pactum iniustum, & infra limites iusti stipendii, poterit per compensationem reduci ad æqualitatem. n. 315. 316. 317. Habens debitum certum, & creditum tantum probabile, licet aliarum conditiones non desint, compensatione uti nequit. Generaliter loquendo uti non licet compensatione, quando opinio debitoris, & creditoris sunt æque probabiles. In aliquibus tamen particularibus casibus; prout asserunt graves Doctores, cum æquali probabilitate uti licet; sicuti suo loco dicitur. In omnibus autem casibus, cum opinio probabiliori, quod res mihi debetur, compensatione uti possum; quod enim probabilis est, humano modo, & moraliter certum est. n. 319. 324.

C A P U T I V.

De contractibus.

§. I.

De contractibus in communi.

93. **C**ontractus alius est absolutus proprius, & perfectus, & hic definitur quod sit *Ulro, citroque obligatio*. Alius est imperfectus, improprius, & late sumptus, qui cum pacto coincidit: & est *conventio duorum, obligationem saltem in alterutro pariens*. *Tract. 14. cap. 1. num. 2.* Contractus perfecti, & absoluti dividuntur in nominatos, & innominatos. Innominati sunt qui proprio nomine ca-

rent.

rent; quorum sunt 4. species: *Do ut des: facio ut facias: facio ut des: do ut facias*. Contractus nominati sunt, quorum specifica ratio proprio nomine significatur; nam vel per contractum transferitur gratiose rei dominium, & tunc datur contractus imperfectus, ut *donatio, legatum &c.*: vel non gratiose, & tunc si transferatur rei dominium per pecuniam, erit *emptio*, & *venditio*: si rei pro re, datur *permutatio*, vel *mutuum*: si pecunia pro pecunia, erit *cambium*: si rei dominium non transferatur, sed tantum usufructus pro annua pensione, est *Emphytheusis*, vel *Feudum*: si tantum concedatur usus nudus rei non consumptibilis, sine pretio, est *commodatum*; si vero pro pretio, est *locatio*, & *conductio*. Ad enumeratos autem reducuntur omnes alii ab Auctoribus recentissimi. Verum de his tantum hic agendum est, quorum notitia propius ad Confessoriarum pertinet institutum, nempe: de emptione & venditione: de mutuo, & usura: de contractu societatis, de cambio, censu, ludo, promissione, donatione, testamentis, & ultimis voluntatibus. num. 3.

94. Contractus in communi sumptus est vel explicitus, & formalis; vel implicitus seu virtualis. Ille est, in quo duo, verbis, vel signis exprimentibus consensum in idem, conveniunt. Implicitus vero, in quo tantum, ex vi legis, vel consuetudinis datur conventio, ratione officii &c., ut inter Tutorem, & pupillum; & hic non est proprie contractus, sed quasi contractus. Dividitur quoque in lucrativum, & onerosum: nudum, & vestitum. Contractus lucrativus est, in quo nihil rependitur, ut promissio, donatio, legatum, commodatum: onerosus, in quo aliquid pro eo quod datur solvi debet, vel præstari, ut emptio &c. Nudus contractus, seu pactum est, quod omni firmitate caret, & in mera conventionione consistit: vestitus est contractus, cum aliquid addit, unde iure Civili, vel Canonico roboratur; ut si sit ex altera parte impletus: si accedat formula stipulationis, aut publi-

cum instrumentum. num. 4. Quatuor modis perficitur substantiaiter contractus: consensu quomodolibet expresse, determinata forma verborum, scriptura, & rei traditione. Rei traditione perficitur donatio, depositum, mutuum, commodatum, & pignus. num. 5. In contractibus, qui solo reciproco consensu perficiuntur, alter sine alterius consensu resiliere non potest. In iis, qui scriptura perficiuntur non obligantur contrahentes ante illam, ea vero confecta, nequeunt sine mutuo consensu resiliere. In iis vero, qui rei traditione perficiuntur, antequam res tradatur potest alteruter resiliere, non autem postea. Ceterum quia regula obligationis est contrahentium intentio, maxime in contractu explicata: si aliter conveniant, eorum intentioni standum est, & etiam consuetudinibus, & legibus municipalibus. num. 6. Solis signis externis, absque animo contrahendi, non perficitur contractus obligationem in conscientia inducens. n. 7.

95. Probabilis est omnes contractus, metu gravi celebratos, tam iure naturæ inspecto, quam positivo validos esse: exceptis aliquibus, qui iure positivo nulli sunt, si ex metu gravi procedant, nempe matrimonium, sponsalia, dotis promissio, & solutio, electio Prælati, auctoritas Tutorum, promissio vel traditio rerum Ecclesiasticarum, vota quæcunque, iurisdicatio, aut prorogatio iurisdictionis. *Tract. 14. cap. 1. num. 11. 12.* Licet iure naturæ, aut positivo, contractus ex metu gravi celebratus irritus non sit, est tamen irritabilis ex parte metum patientis, cui datur actio in foro externo, contra eum qui metum incussit, sive contractus fuerit lucrativus, sive onerosus. num. 13. Facto contractu ex metu iniusto dante causam illi, licet bona fide res transeat ad alium possessorem, ab eo qui metum passus est repeti potest. n. 15.

96. Dolus aliquando sumitur pro solertia, & sic est habitus ad *inveniendum de repente quod congruit*. Aliquando sumitur in malam partem, & est calliditas,